

DISSERTATIO

DE

BAPTIZATO CHRISTVM  
INDVENTE

QVAM

EX ANTIQVITATIBVS ILLVSTRATAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

D O M I N O

GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM  
ANGARIAE ET WESTPHALIAE COMITE SAY-  
NAE ET WITTGENSTEINII RELIQA

P R A E S I D E

IOANNE GEORGIO WALCHIO

THEOL. D. AC PROF. ORD. SERENISSIMOR. DVCIS SAXO-ISENAC.  
ET MARGGRAVII BRANDENBURG. ONOLDIN. A CONSILIIIS  
ECCLESIASTIC. ET CONSISTOR. CIVIVM IN HAC  
ACAD. ISENACENSIVM ET ONOLDINORVM  
INSPECTORE

PATRONO AC PRAECEPTORE PIE DEVENERANDO  
EXHIBET EAMQVE ERVDITORVM  
DISQVISITIONI SVBIICIT

A V C T O R

M. IOSEPH. CHRISTOPH. WERNER  
EISENBERGENSIS.

DIE XXV. MAII ANN. SALVT. CHRIST. M D CC XXXVIII.

IENAE LITTERIS SCHILLIANIS.

88.

~~LXXIX. 45.~~

Coll. diss. A  
230, 9

Diff. A. 230 (9)

D I S S E R T A T I O

DE

R A P T I N A T O C H R I S T I A N I  
I N D V E N T E

EX AUCTORITATE ILLUSTRISSIMI  
R E C T O R I S M A G N I F I C E N T I S S I M O  
S E R E N I S S I M O P R I N C I P E A C D O M I N O

D O M I N O F R A N C O  
G V I L L E L M O H E N R I C O

D O C T O R I S S A X O N I A E I N I A C T I C I L I A E  
M A G I S T R I C I P R O F E S S O R I S  
I N C O M M U N I C A T I O N E



P R A E F A T I O  
I O A N N E G E O R G I O W A L L C H I O

T H E O D O R O A C T O R I O R D S E R E N I S S I M O R D U C I S S E C R E T A R I O  
E T M A G I S T R O P R O F E S S O R I O I N T E R P R E T E M A G I S T R I C I  
R E C T O R I S S I M O A C D O M I N O S E R E N I S S I M O P R I N C I P E  
A C A D E M I A E S A X O N I A E I N I A C T I C I L I A E  
I N S T I T U T I O N E

P A P A E N O M O P R O P R I E T A R I O R U M V I C E C A M E R A C E  
E X H I B E T E A M O V E R E R V A T O R I A M  
I N S T I T U T I O N I S S E C R E T A R I O R U M

M I O S E P H O C H R I S T O P H O W E R N E R  
I N S T R U C T I O N I S

H E N R I C O G V I L L E L M O

28

VIRI  
SVPRIMI SENATVS ECCLESIASTICI

QVI ALTENBURGI SEDET,

PERILLVSTRI ET EXCELLENTISSIMO

**PRAESIDI,**

DOMINO SVO GRATIOSO,

VNA CVM

**CONSILIARIIS**

ET

**ASSESSORIBVS,**

VIRIS ILLVSTRIBVS, SVMME REVE-  
RENDIS, EXCELLENTISSIMIS, CON-  
SVLTISSIMIS, GRAVISSIMIS

*DOMINIS, MECAENATIBVS*

AC PROMOTORIBVS SVIS

SANCTE COLENDIS.

X 2

VIRI

# VIRI

PERILLVSTRIS, EXCELLENTISSIMI,  
SVMME REVERENDI, CONSVLTIS-  
SIMI, GRAVISSIMI,  
PATRONI SVBMISSE VENERANDI.

**Q**uum admirabile studium, quod  
in bonis litteris et ornandis et au-  
gendis collocare soletis : mirifica  
erga veros illarum cultores gratia  
et benevolentia : summum patro-  
cinium, quod nulli auxilium ve-  
strum imploranti denegatis : im-  
mortalia denique in integram rem-  
publicam litterariam merita omni-  
um animos iam dudum ad se con-  
uerterint, non mirabimini, quod  
et ego in VOBIS colendis singula-  
rem

rem quandam mihi constituerim  
pietatem, meaeque erga vos reue-  
rentiae publicum nunc mittam pi-  
gnus. Accipiatis illud, PATRONI  
PIE COLĒNDI, serena fronte et  
permittatis, vt hic tenuissimus in-  
genii mei foetus, quem VOBIS fa-  
crum esse cupio, sit meae erga VOS  
obseruantiae interpres; singularis  
VESTRAE gratiae et beneuolen-  
tiae autem felix exorator. Quod si  
adsequor, tantum ad fortunas meas  
additum fuisse, existimabo, quan-  
tum aeterna obseruantia vix deme-  
rerī poterō. Id tamen agam, quod  
pro viribus licet, et pro VESTRA  
salute ardentissimas preces nun-  
quam non ad Deum mittam. Ser-  
uet VOS Deus saluos ac incolumes,  
vt sub regimine CLEMENTISSI-  
) ( 3 MI

MI AC SAPIENTISSIMI NO-  
STRI PRINCIPIS FRIDERI-  
CI III. quem numen celsissimum  
in feros vsque annos superstitem ef-  
se iubeat, in ecclesiae salutem, rei-  
publicae commodum, bonarum  
artium praesidium, orbis litterati  
decus, et omnium, qui VESTRA  
ope egent, gaudium diu viuatis  
ac valeatis. Haec omnia ex ani-  
mo optat,

VIRI

PERILLVSTRIS, EXCELLENTISSIMI,  
SVMME REVERENDI, CONSVLTIS-  
SIMI, GRAVISSIMI  
PATRONI AETATEM COLENDI

NOMINVM VESTRORVM

cultor obseruantissimus

M. Ioseph. Christoph. Werner,  
h. diff. auctor.



## כְּהֵנָּה

## PROOEMIUM.

**Q**uam splendidae quamque pretiosae fuerint vestes, quibus veteris testamenti sacerdotes, munere suo functuri, diuino quidem mandato, utebantur, cum ex scriptura sacra luculenter apparet; \* tum neminem latere potest, qui tantum extremis, vt aiunt, digitis antiquitatum iudaicarum libros attigit. Ast omnes hae vestes, licet permagni pretii essent; vestimentis tamen, quibus spirituales noui testamenti sacerdotes; siue, vt mentem meam melius explicem, credentes sacerdotum nomine insigniti, \*\* induuntur, non aequiparandae sunt. Hi quidem non induunt vestes auro exornatas, quibus summus pontifex vestiebatur; nec albas lino tenuissimo et candidissimo constantes, quas et summus pontifex et  
A alii

---

\* *exod.* xxviii. et xxix. *Leuit.* xvi.      \*\* *I Petr.* ii, 9. et *apoc.* i. 6. v, 10.

alii sacerdotes habebant, vti praeter alios IO. BRAVNIVS \* inprimis ostendit; sed Christum ipsum, tam quoad personam, ita vt cum illo vniantur: \*\* fiant membra corporis eius mystici, \*\*\* et sint vnus spiritus cum illo; \* quam quoad acquisita beneficia, iustitiam nimirum, gratiam diuinam, spiritum sanctum, vitam denique aeternam, quas vestes gerunt credentes, iisque industant coram Deo. Optimus huius veritatis testis est Paullus, ac *epistol. ad Galatas* III, 27. de Christo, quem homines per baptismum induunt, praecclare agit, cuius testimonium, quum in isto quot verba, tot pondera adsint, Deo adiuuante, omni, qua fieri poterit, cura atque industria nunc perpendam, et ex antiquitatibus, quæ interpreti scripturae sacrae non exiguum accendunt lumen, illustrabo. Verba apostoli cum versionibus quibusdam sic se habent:

## TEXTVS AVTHENTICVS:

Ὅσοι γὰρ εἰς χριστὸν ἐβαπτίσθητε, χριστὸν ἐνεδύσαθε.

## VERSIO SYRIACA:

ܐܘܢ ܕܥܠܝܢ ܕܡܘܬܝܢ ܕܡܝܫܝܚܐ ܕܡܝܫܝܚܐ ܕܡܝܫܝܚܐ ܕܡܝܫܝܚܐ  
ܕܡܝܫܝܚܐ ܕܡܝܫܝܚܐ ܕܡܝܫܝܚܐ ܕܡܝܫܝܚܐ

## VERSIO ANGLICANA:

For as many of you, as have been baptized into Christ, have put on Christ.

VER-

\* *de vestitu sacerdotum hebraeorum.*

\*\* *Io. vi, 56.*

\*\*\* *Ephes. iv, 15. v, 30. adde Coless. ii, 19.*

\* *I ad Corinth. vi, 17.*



## VERSIO BEZAE:

Nam quicumque in Christum baptizati estis, Christo fuistis induti.

## VERSIO LVTHERI:

Dann wie viel euer getaufft sind, die haben Christum angezogen.

## §. I.

Quum iam in eo sim, vt ad locum Paullinum iam laudatum, ea, qua fieri poterit, diligentia explicandum me accingam, mihi occurrit vox βαπτίζειν, eaque πολύσημος, et quia propriis et impropriis gaudet significationibus, operae omnino pretium est, eas indagare, examinare, et quae istarum nostro in loco adhibenda sit, diligenter inuestigare.

## §. II.

βαπτίζειν proprie et in sensu natiuo denotat immergere et adspergere. Priorem significatum nemo, qui vel leuiter linguae graecae peritus est, in dubium vocabit. Nam satis firma adsunt documenta. Testes sunt LXX. INTERPRETES \*, qui hanc vocem ita vsurpant: testes sunt PLVTARCHVS, \*\* STRABO \*\*\* et IOSEPHVS; \* nec exiguum testimonium vox

A 2

βάπτειν,

\* 2 reg. v, 14. καὶ κατέβη Ναιμὰν καὶ ἐβάπτισατο ἐν τῷ Ιορδάνῃ ἐπτάκις.

\*\* de superstitione p. 166. tom. II. oper. βάπτισον σεαυτὸν εἰς θάλασσαν, immerge teipsum mari.

\*\*\* lib. xiv. p. 982. καὶ ὅλην τὴν ἡμέραν ἐν ὕδασι γενέσθαι τὴν πορείαν συνέβη, μέχρι

ὄμφαλῶ βαπτιζομένων, itaque contigit, vt totum diem milites per aquam iter facerent, vsque ab umbilicum immersi, item lib. vi. p. 421. vbi de lacu Agrigentino, cuius natura erat, vt etiam ii, qui natate nesciebant, non submergerentur, loquens, haec verba ponit: εἰδὲ γὰρ τοῖς ἀκολύμβοις βαπτίζεσθαι συμβαίνει, ζύλων τρέποι

βάπτειν, a qua βαπτίζειν descendit, quamque ab HOMERO \*\* et LXX. INTERPRETIBVS \*\*\* in hoc sensu vsurpatam deprehendimus, suppeditat. Attamen haec vocis βαπτίζειν significatio non sola est propria; sed denotat etiam, ut iam monui, *adspergere*, quæ significatio variis stabiliri potest rationibus. Nam quis est, quaeso, tam ignarus, ut apostolum verba περὶ διαφόρων βαπτισμῶν facientem \*, digitum quasi ad lotiones ceremoniales et Leuiticas intendisse, nesciat? harum vero nonnullas *adsperzione* tantum peractas fuisse, extra omnem controuersiam positum est. Nonne isti, qui tetigerant mortuum hominem; aut quodcunque aliud cadauer, aqua cinere vaccae rufae combustae mixta, quam scriptura sacra מִי נִרְהָה vocat, et LXX. INTERPRETES ὕδαρ ῥαντισμῶν vertunt, adspergebantur? \*\* Nam et קִרִי \*\*\* et קִוִי \* significat *adspergere*, ut VALENTIN. SCHINDLERVS \*\* bene monuit, quemadmodum LXX. INTERPRETES \*\*\* VOCE περιῤῥαντίζειν, *adspergere* etiam vsi sunt. Quid

πον ἐπιπολάζουσι, nam nec natandi insciis euenit, ut immergantur, lignorum in morem potius supernatant.

\* antiqu. iud. xv, 3. p. 514. βαρῦντες ἀεὶ καὶ βαπτίζοντες ὡς ἐν παιδίᾳ νηχόμενον, ἄκ ἀνῆκαν, ἕως καὶ παντάπασιν ἀποπνίξαι, deprimentes semper et demergentes quasi per petulantiam natantem, non prius destiterunt; quam omnino aqua praefocatus sit: conferri possunt CHRIST. CELLARIVS in dissertationib. academ. p. 177.

et SALOMO DEYLINGIUS obs. sacr. part. III. p. 197.

\*\* odyss. I, 391. 392.

\*\*\* Lev. XI, 32. εἰς ὕδαρ βαφθήσεται.

\* ebr. IX, 10.

\*\* numer. XIX, 9. 13.

\*\*\* ibid. v. 13.

\* ibid. v. 19.

\*\* qui in lexico pentaglotto sub vocibus קִרִי et קִוִי hanc significationem multis exemplis monstrat.

\*\*\* numer. XIX, 13.

Quid hoc testimonio clarius sit, non video. Nec contemnendum summus, cuius cineres adhuc veneror, philologus, beatus IO. ANDREAS DANZIVS \* exhibet argumentum ex verbis apud Lucam \*\* sumtum, vbi pharisaeus quidam in magnam rapiebatur admirationem, quod Iesus & πρώτον ἐβαπτίσθη πρὸ τῆς αἰῶνος, quae verba nullam admittunt corporis immersionem. Hanc enim locus, vbi Christus erat, non patiebatur. Non adesse poterat sufficiens aqua; nec vas, quo immersio totius corporis peragenda fuisset; praeter haec autem praesentia aliorum, quo minus fieret immersio, impediabat, vt laudatus DANZIVS \*\*\* ex ritibus iudaeorum eorumque scriptis, pro more suo, docte et solide ostendit. Quid? verbum βάπτειν, cui βαπτίζειν originem suam debet, apud LXX. INTERPRETES\* in hoc significato occurrit, quam in rem plura adferre possem documenta, nisi ABR. CALOVIVS, \*\* IO. AD. SCHERZERVUS \*\*\* aliique et doctrina, et auctoritate celebres ea satis solide pertractassent. Quid itaque clarius: quid certius esse posset, quam quod βαπτίζειν et immergere et adspargere significet?

## §. III.

Βαπτίζειν & βαπτισμός quum immersionem et adspersionem proprie denotet; vtraque vero purgandi et lauandi

A 3

\* dissert. de baptismo proselytorum iudaico e monumentis ebraeorum talmudicis eruto §. 6. sequ.

\*\* XI, 38. quem locum DANZIVS l. c. perquam eximie explicat.

\*\*\* qui c. l. hac in re valde occupatus est. Ex omnibus hisce satis apparet, minus ap-

probendam esse sententiam WASERI lib. III. cap. 5. de mensur. ebraeor. quod verbum hoc de totius corporis lauatio-  
ne accipiendum sit.

\* num. XIX, 18.

\*\* system. locor. theol. tom. IX. artic. II. cap. 5. p. 228.

\*\*\* system. theolog. p. 366.

uandi caussa suscipiatur, accidit, vt quamuis lotionem, siue immersione; siue adspersione illa fiat, indicet. Sic Naeman ἐβαπτίσατο ἐν τῷ ἰορδάνῃ ἐπτάκις \*: sic Iudith ἐβαπτίζετο ἐν τῇ παρεμβολῇ ἐπὶ τῆς πηγῆς τῆς ὕδατος: \*\* sic de lotionibus Leuiticis occurrit: \*\*\* sic de lotionibus pharisaicis vsurpatur: \*\*\* sic in loco Lucae paullo ante excitato sumitur: sic lotio vasorum vocatur βαπτισμός. \* Eiusmodi βαπτισμοὶ, siue lotiones omni tempore ab hominibus munditiei studio ductis vsu sunt receptae, et recipi debent. Et gentiles et iudaei eis utebantur. De illorum lotionibus praeter HOMERVM \*\* et STRABONEM, \*\*\* IO. LOMEIERVS \* et OTHO SPERLINGIVS \*\* conferri merentur. Quid loquar de iudaeorum lotionibus vulgaribus? quarum vsus apud illos valde frequens erat. Nam quum, testibus MARTIN. GEIERO \*\*\* aliisque, iudaeorum regio valde aestuosa esset, atque puluerulenta, vt illis multum sudoris eliceretur, eorumque manus et pedes praesertim puluere quasi adspargerentur, magnam lauandis manibus et pedibus nauabant operam. \* Lotiones ad munditiam

\* 2 reg. v, 14. coll. v. 10.

\*\* XII, 7, vti eadem vox etiam Sirac. xxxi, 25. sensu hoc occurrit.

\*\*\* Marc. vii, 4.

\* ibidem, in quo loco Marcus voces ἰπτέσθαι et βαπτίζεσθαι eadem vsurpat significatione, coll. v. 3.

\*\* iliad. ψ. v. 282. ω. 303. 304. 305. et odyss. α. v. 136. δ. 48. 49. 52. 53. ζ. v. 85. sq. κ. v. 182. ω. 253.

\*\*\* lib. iii. p. 250. vbi infantes lotos fuisse, ostenditur.

\* de lustrationibus gentilium.

\*\* de baptismo ethnicorum.

\*\*\* in opusculis philol. speciatim de luctu hebraeorum p. 245.

\* praesertim ante cibum et conuiuia solemnia: prout etiam commune hospitalitatis officium erat, peregre venientibus lauare pedes, vt apparet gen. xviii, 4. xix, 2. xxiv, 32. xliii, 24. iud. xix, 21. I Sam. xxv, 41.

tiem conseruandam factae non sunt reiiciendae, ac Christum ipsum has approbasse, quis nescit? Quum enim pharisaeus quidam ipsi inuitato aquam non porrigeret, eum reprehendebat: \*\* cui non obstat, quod Christus itidem a pharisaeo quodam inuitatus illotis manibus cibum sumserit. \*\*\* Tantum quippe aberat, vt studium munditiei in se consideratum neglexerit; vt potius eo tempore forsitan non inquinatus, lotionem omissa, occasionem amplecteretur, pharisaeorum, qui id indigne ferebant, superstitionem refutandi \* illisque monstrandi, externam hanc lotionem, nisi coniuncta sit cum interna animi purgatione, non sufficere ad cultum Deo exhibendum, cuius non exiguam partem pharisaei, quam maxime superstitiosi, in lotionibus hinc externis collocare solebant, prout etiam SEBAST. SCHMIDVS \*\* bene obseruauit.

## §. IV.

Ceremoniales et Leuiticae lotiones; siue celebres hebraeorum lustrationes praesertim & speciatim βαπτισμοί \*\*\* appellantur, et quia istae non exiguam ceremoniarum Leuiticarum constituebant partem, accuratius istas expendere, decet. Ad lustrationes haec, quibus et personae, \* et res uita destitutae \*\* lustrabantur, peragendas requirebatur  
aqua

\*\* *Luc.* VII, 44.\*\*\* *Luc.* XI, 38.\* *ibidem.*\*\* *tr. Geheimnis der beyden Sacramenten des neuen Testaments, cap. 1. p. 7.*\*\*\* *ebr.* IX, 10.\* Sacerdotes nimirum, *Leui-*

tae alique, quos infra memorabo.

\*\* tabernaculum *Leuit.* VIII, 10. II. *ebr.* IX, 21. altare *exod.* XXIX, 36. XXX, 27. 28. uasa *exod.* XXX, 27. sequ. *Leuit.* XI, 32. uerimenta *exod.* XIX, 14. *Leu.* XI, 32. XIV, 8.

aqua, \*\*\* sanguis, \* oleum \*\* et speciatim aqua cinere rufae vaccae combustae mixta, \*\*\* quam scriptura sacra vocat מִי נֶרְרָה et de qua viri celeberrimi IO. BRAVNIVS, \* IO. BENEDICT. CARPZOVIVS, \*\* AVGVST. PFEIFFERVS, \*\*\* THEODOR. DASSOVIVS, \* CONRAD. IKENIVS, \*\* aliique multa in medium protulerunt. Ablutiones ipsae vel immersione totius corporis; \*\*\* aut quarundam tantum partium, manuum quippe ac pedum, \* vel adspersione \*\* fiebant. Finis istarum erat varius, quum aliae ad consecrandum; siue ad separandum quidquam a communi vsu: \*\*\* aliae ad purgandam rem quandam: \* aliae ad expiandum quidquam: \*\* aliae ad

\*\*\* pura nimirum ex fonte; aut flumine viuo hausta, quam scriptura sacra vocat מִי חַיִּים *Leu. xiv, 6. numer. xix, 17.*

\* *exod. xii, 7. xxix, 20. 21. Leu. v, 9. viii, 15.* et in permultis aliis locis.

\*\* *exod. xxx, 25. seq. Leu. viii, 10. 11. 30. xiv, 16. 17. 18.*

\*\*\* *numer. xix, 9. xxxi, 23.*

\* *de vestitu sacerdotum hebr. lib. ii. cap. 24. p. 649. sequ.*

\*\* *dissertation. de vacca rufa.*

\*\*\* *in dubiis vexatis p. 289.*

\* *dissertat. de lustrationibus hebraeorum.*

\*\* *antiquitat. hebr. part. i. cap. 18. p. 249. seq.*

\*\*\* *sic leprosi immergebantur,*

*2 reg. v, 14.* Haec immersio dicebatur טְבִילָה.

\* haec vocabatur, vt IKENIVS l. c. p. 251. annotat, קִירוֹשׁ.

\*\* quae רוֹיֵרָה et graece παντισμός audit. Fiebat vel digito *Leu. viii, 15. ix, 9. xiv, 27. xvi, 14. numer. xix, 4.* vel adspergillo ex ligno cedri-  
no, hysso, lana coccinea *Leu. xiv, 6. 51. numer. xix, 6.*

\*\*\* si sacerdotes inaugurabantur et res cultui diuino destinabantur, *exod. xxix, 4. 20. 21. xxx, 26. seq. Leu. viii, 6.*

\* *Leu. xi, 32.* Hinc talis lotio ceremonialis *Io. iii, 25.* καθαρισμός vocatur.

\*\* quae praesertim sanguine sacrificiorum fiebant et vim

טוּבִי-

ad testandam innocentiam \*\*\* susciperentur. Harum lotionum vsus valde frequens extitit, et accurate destinatus, quemadmodum ex scriptura sacra patet, omnes sacerdotes et Leuitas ad munus suum praeter alios ritus, etiam lotione inauguratos fuisse; \* nec vllum sacerdotem, nisi antea ex labro aeneo, \*\* quod כִּיּוֹר נְחֹשֶׁת dicebatur, et succedentibus temporibus ex mari aeneo הַיָּם טוֹצֵק \*\*\* dicto, lotus fuerit, ad sanctuarium et altare fuisse admissum \*. Quis nescit speciale dei mandatum, quo cum Israelitis foedus initurus, istos obstringebat, vt vestimenta sua abluerent? \*\* Cui tantum sunt incognitae multae istae lotiones, quibus utebantur iudaei, quum sacrificia vellent offerre \*\*\* ac preces funderent: \* templum intrarent: \*\* de sancta carne comedere vel- lent: \*\*\* lepra laborarent: \* mortuos tetigissent: \*\*

B

alium

τυπικῶς expiandi habebant, *Leu. viii, 2. 6. 7. xvi, 30.*

\*\*\* has ab illis lex requirebat, qui a caede se innocuos esse, testari volebant, *deuteron. xxi, 6.* Hac lotione utebatur Pilatus, *Matth. xxvii, 24.* Ad hanc respicit David, dicens: אֶרְחֹץ בְּנִקְיוֹן כַּפַּי *lauabo in innocentia manus meas, ps. xxvi, 6.*

\* *exod. xxix, 4. Leu. viii, 2. 6.* et Leuitae speciatim בְּמִי חֲטָאתִי inaugurabantur, *num. viii, 7.*

\*\* *exod. xxx, 18.*

\*\*\* *2 reg. xxv, 13. 1 chron. xix, 8. Jer. lii, 17.*

\* Nam deus sub poena mortis mandauerat, vt sacerdotes munere suo functuri manus et pedes abluerent, *exod. xxx, 21.*

\*\* *exod. xix, 10.* vbi deus Moysi praecipit: לֶךְ אֶרֶץ הָעַם וְקִדְשְׁתֶּם הַיּוֹם וּמָחָר וּכְבַסְוּ שְׂמֹלֹתֵיכֶם. Heic vestimentorum lotio cum corporis lotioni coniungenda est, vti patet ex *Leu. xv, 10. 11. 13. 22. 27. num. xix, 7.*

\*\*\* *1 Sam. xvi, 5.*

\* *Judith. xii, 8.*

\*\* *exod. xxx, 20.*

\*\*\* *Leu. xxii, 16.*

\* *Leu. xiv et 2 reg. v.*

\*\* *numer. xix.* ex quo capite patet, quod adpersio fieri deberet

beret

alium interfecissent \*\*\* et ob alias rationes, quas omnes breuitatis studio ductus non adducam, impuri essent. Ita patet, quam frequentes, quamque usitatae hae lustrationes fuerint apud iudaeos. Easdem fere pagani homines adhibebant; sed tantum abest, ut iudaei rituales suas et ceremoniales lotiones a gentilibus acceperint; ut potius deus, a cuius voluntate, nutu et imperio ecclesia iudaica dependebat, has ceremonias praeceperit, quas, licet non omnes, multas tamen gentiles arripuerunt. Varias erant, quas habebant pagani homines, lustrationes ac plerumque aqua, interdum igne; \* nec raro sanguine, ut OTHO SPERLINGIVS \*\* et IO. LOMEIERVS \*\*\* obseruarunt, peragebantur. Aqua, qua utebantur, debebat esse viua ac perennis; \* nec marinam aquam, cui maximam attribuebant vim purgandi apud APVLEIVM \*\* et HOMERVM; \*\*\* nec

aquam

beret per aquam vaccae rufae combustae cinere mixtam: adde *Leu.* XVII, 15.

\*\* PHILO iudaeus *lib.* I. de *vita Moysis* p. 650. de eiusmodi lustrationibus satis clarum exhibet testimonium.

\* quem EVRIPIDES *electr.* v. 812. vocat ἀγνὸν πῦρ, ignem lustralem.

\*\* de baptismo ethnicorum.

\*\*\* de lustrationibus gentili-um p. 249. 265.

\* sic dicit VIRGILIUS *lib.* II. *Aeneid.* v. 719.

- donec me flumine  
vivo

abluero - - - -  
quod SERVIVS exponit: aqua semper fluenti et naturali. HESIODVS *εργ.* v. 737. laudat αἰνῶν ποταμῶν καλλιῆρον ὕδωρ, et OVIDIVS *lib.* IV. *fast.* v. 314. collaudat puram fluminis aquam.

\*\* *lib.* XI. *metam.* p. 257. me purificandi studio marino lauacro trado.

\*\*\* *odys.* β v. 261. ubi Telemachus dicitur χεῖρας νιψάμενος πολιῆς ἁλός, manus lauans e caeno mari. Nam iuxta opinionem gentilium θελάσσα



aquam fluuiorum negligebant; sed potius isti magnam virtutem adscribere solebant. \* Lotiones ipsae vel immersione; \*\* vel adspersione \*\*\* tantum fiebant: quid? vt lotiones eo facilius susciperentur, malluua sacra et vasa publice adponebantur. \* Aqua vero lustrabantur sacerdotes apud HERODOIUM, \*\* DIONYSIUM HALICARNASSENSEM, \*\*\* AELIANVM: \* ad sacra initiandi apud APVLEIUM: \*\*

B 2

tem-

λασσα κλύζει πάντα τῶν ἀνθρώπων κακά, mare diluit omnia hominum mala, vt EUSTATHIUS IN HOMERI *iliad.* κ testatur.

\* quod LOMEIERVS *l. c.* p. 225. seq. et SPERLINGIUS p. 41. 89. 93. multis exemplis ostenderunt.

\*\* sic APVLEIUS *lib. XI. metam.* p. 257. *me purificandi studio marino lauacro trado: septies submerso fluctibus capite,* quod et PERSIUS *satyr. II.* monstrat.

\*\*\* apud VIRGILIUM *VI. Aeneid.* v. 4. et OVIDIUM *lib. IV. fast.* 655. 790. Adspersiono autem fiebat ope lauri; vel oliuae, vt VIRGILIUS *Aeneid.* VI. v. 230. et OVIDIUS *lib. V. fast.* 677. sq. ostendunt.

\* quod EVRIPIDES *Ion.* v. 435. seq. satis monstrat, qui haec malluua ἀπορράνθηρια vocat. POLLUX *lib. I. cap. I.* p. 23. vero ista appel-

lat τὰ πρὸ τῶν ἱερῶν περιρράνθηρια, de quibus HOMERVS *odysf. γ. v.* 440. etiam conferri meretur.

\*\* *lib. II. cap. 37. p. 104.* de sacerdotibus dicit: λένται δις τῆς ἡμέρας ἐκάστης ὕδατι ψυχρῷ καὶ δις ἐκάστης νυκτός, quotidie lauantur aqua frigida bis interdiu, ac bis noctu.

\*\*\* *lib. VII. antiqu. Rom. p. 478.* vbi sacerdotes dicuntur: χερνιψάμενοι γὰρ αὐτοὶ, καὶ τὰ ἱερὰ καθαρῶ περιαγνίσαντες ὕδατι, κ. τ. λ.

\* *lib. VII. de animal. cap. 45.* οἱ ἐν τῇ Αἰγύπτῳ ἱερεῖς ἐαυτῶς περιρραίνουσιν ἔ παντὶ ὕδατι, ἀλλ' ἐκείνω, ἐξ ἧς πεπισεύκασιν, ὅτι ἄρα καὶ Ἴβις πέπωκε.

\*\* qui ipse hoc modo ad Isis sacra initiabatur *lib. XI. metam.* prout HERMANNVS WITSIUS *in Aegyptiacis lib. II. cap. 16. §. 7.* ex HESYCHIO docet, ad Eleusinia minora admit-

templa intraturi: apud EVRIPIDEM: \*\*\* preces fu-  
furi apud HOMERVM \* et PLVTARCHVM: \*\*  
sacrificaturi apud LACTANTIUM: \*\*\* foedus icturi  
apud HOMERVM: \* caedibus polluti apud VIR-  
GILIUM: \*\* cadaver tangentes; aut adspicientes  
apud LUCIANVM: \*\*\* victimae itidem apud DIO-  
NYSIUM HALICARNASSESEM. \* Reliquas ethni-  
corum lustrationes non diutius persequar, praeser-  
tim quum CHRIST. BRUNINGS \*\* et iam laudati  
IO. LOMEIERS et OTHO SPERLINGIUS in iis re-  
censendis valde occupati sint.

## §. V.

Quid lotiones hae iudaeorum sibi quaesierint,  
explorandum omnino est. Totum cultum externum  
veteris testamenti a deo institutum typum fuisse atque  
imaginem cultus interioris, praecipue noui testamenti,  
nemo temere denegabit. Nam leges Mosaicae cere-  
moniales comprehendebant tantum umbram bono-  
rum

admittendos antea in flumine  
Ilisso baptizatos fuisse.

\*\*\* Ion. v. 95.

- καθαρίσθε τὰς χεῖρας ὑμῶν ἐν ὕδατι.

Ἀφουδρανάμενοι, σείχετε τὰς χεῖρας ὑμῶν.

\* odysf. μ. v. 336.

χεῖρας νιψάμενος, ὅθ' ἐπὶ  
σκέπας ἦν ἀνέμοιο.

Ἡρώμην πάντεσσι θεοῖς, οἱ  
ὄλυμπον ἔχουσι.

\*\* in vita Marii, ubi Marius  
νιψάμενός τὰς χεῖρας καὶ πρὸς  
τὸν ἕρανὸν ἀναχῶν, manibus  
ablutis et in coelum sublatis vo-  
ta diis fecisse, dicitur p. 420.

\*\*\* lib. v. cap. 19. pie sacri-

ficasse se opinantur, si cutem  
lauerint.

\* iliad. Γ. vers. 270.

\*\* lib. II. Aeneid. v. 715. lib.  
IX. circa finem.

\*\*\* de dea Syria p. 682. ἦν μὲν  
τις αὐτέω νέκυν ἰδηται, ἐκείνην  
τὴν ἡμέρην ἐς τὸ ἱερόν ἔκ  
ἀπικνέεται. τῇ ἑτέρῃ δὲ κα-  
θήρας ἑαυτὸν εἰσέρχεται.

\* c. I. vbi sacerdotes dicun-  
tur τὰ ἱερὰ καθαρῶ περι-  
αγνίσαντες ὕδατι, lustrantes  
victimas pura aqua.

\*\* in compendio antiquitatum  
graecarum e profanis sacrarum  
cap. XIII. p. 247. seq.

rum futurorum; non ipsarum rerum substantiam: \*\*\* comprehendebant umbram, cuius corpus inueniebatur in christo. \* Ex eo facili negotio colligere possumus, quod deus non sola externarum lotionum, quae etiam ad cultum externum veteris testamenti sunt referendae, obseruatione contentus fuerit; sed aliud quid longe praestantius serio voluerit, nempe, vt hae lotiones, tanquam symbolicae ceremoniae, interiorum animae purgationem adumbrantes, iudaeis stimulos quasi adderent, vt gratia diuina suffulti animam a peccatis, tanquam sordibus illam turpiter contaminantibus, purgarent, et acquisita peccatorum remissione, auxilio spiritus sancti sanctimoniam vitae et puritatem sectarentur. Voluntatis huius diuinae iam in veteri testamento interpretes erant Iesaias, \*\* qui mandato diuino homines admonebat: רחצו הזכו הרבה כבסני מעוני: Ezechiel: \* זרתי עליכם מים טהורים et alii, quorum testimonia diligens scripturae sacrae scrutator facile inuestigabit. Apostolus veritatis huius satis dignus testis est: \*\* egregium de hac re perhibet testimonium, \*\*\* et a minori ad maius ita concludit: si sanguis taurorum et hircorum atque cinis vaccae rufae combustae, quo immundities ex mortuo contracta remouebatur, sanctificat ad carnis puritatem; quanto maiori vi atque virtute sanguis Christi, innocentis

B 3

\*\*\* ebr. x, 1.

\* Coloss. II, 17. vbi lex ceremonialis dicitur σκιά τῶν μελλόντων, τὸ δὲ σῶμα τῆς χειρῆς.

\*\* cap. I, 16. heic vox הזכו magna gaudet emphasi, et accuratè ita vertitur: purificati

prius purificate vos ipsos. Nam est verbum mixtum ex niph'al et hithpael.

\*\*\* ps. LI, 4.

\* xxxvi, 25.

\*\* I Cor. VI, 11.

\*\*\* ebr. IX, 13. 14.

centis et immaculati agni \*\*\* et antitypi, \* conscientiam vestram mundare poterit a mortuis operibus. Per *mortua vero opera* intelligenda sunt peccata, quae sic dicuntur, partim quia committuntur ab iis, qui spiritualiter mortui sunt \*\* et alieni a vita dei; \*\*\* partim, quia poenam mortis et temporalis et aeternae secum adferunt, eiusque causa sunt. Nam τὰ ὀψώνια τῆς ἀμαρτίας θάνατος. \* Fuisset quidem omnium iudaeorum officium, ut sese in lotionibus obseruandis ad voluntatem diuinam accommodassent; sed plurimi id omiserunt, adhærendo cortici; nucleum vero sanctitatis satis oscitanter negligendo.

## §. VI.

Ex hoc peruerso lotionum studio superstitionis lotiones, quae βαπτισμοὶ vocantur, et quas christus ipse apud Marcum \*\* recenset, originem suam traxerunt. Iudaei quemadmodum ad superstitionem valde proni erant, ita, ut et CORNELIVS TACITVS \*\*\* istos gentem superstitioni obnoxiam adpellauit.

\*\*\* I *Petr.* i, 19. in quo loco sanguis christi τίμιον αἷμα vocatur has ob rationes, quia habet pretii adaequati valorem in oculis dei, I *Cor.* vi, 20. vii, 23. quia est sanguis ipsius filii dei, cui nihil nec in coelo; nec in terra comparari potest *act.* xx, 28. I *Io.* i, 7. quia gaudet propria vi ac infinita virtute, omnia peccata expiandi I *Io.* i, 7.

\* nam antitypus hic typo longe: imo infinite perfectior est, ut SEB. SCHMIDIVS in

*comm. in. b. l.* loqui solet.

\*\* *Rom.* v, 12. Paullus absque dubio animum suum intendit ad immunditiam ex mortuo contractam, quae maxima habebatur, et aqua cinere vaccae rufae combustae mixta remouebatur; ita ut, quam horrendum sit peccatum, facilius appareat.

\*\*\* *Ephes.* iv, 18.

\* *Rom.* vi, 23.

\*\* *Marc.* vii.

\*\*\* *lib. i. histor. cap. 13.*

lauerit; sic propemodum in nulla re superstitionem suam magis; quam in obseruandis lotionibus proderunt, eo progressi stultitiae, vt in his ritibus stricte exercendis laudem et sanctitatem; in iis vero negligendis summam turpitudinem magnamque impietatem sitam esse, arbitrarentur. \* Quid? quidam has lotiones tam necessarias reputabant, vt persuaderent sibi, hominem, si accepta aqua manus abluere, sitimque extinguere simul ob paucitatem aquae non posset, omnino obstrictum esse, vt, licet contaberet siccitate, non tamen anhelanti gutturi; sed lauandis manibus eam affunderet. Quid hoc absurdius esse potest? Nihilominus IO. BVXTORFVS, \*\* THOM. GOODWINVS, \*\*\* IO. HENR. REITZIVS \* id et alia plura a quibusdam iudaeorum doctoribus tradita et a iudaeis summa cum superstitione ad actum esse deducta, ex ipsis rabbinorum scriptis ostenderunt. Quam ob causam christus reprehendebat phariseos. \*\* Nam deus has lotiones phariseis nunquam praecepit; sed istae tantum veterum traditionibus: variis ingenii pharisaici commentis et figmentis nitebantur; nec Deo acceptae esse poterant. Pharisei enim in his externis ablutionibus, vbi non omnem religionem; maximam tamen propemodum partem eius ponebant, de interno cultu, et animo a vitiorum sordibus per veram poenitentiam purgando parum solliciti, vt ita ἐθελοθρησκείας et super-

\* id quod apparet *Marc. vii.* et *Luc. vii.* et *xi.*

\*\* in *synagoga iudaica cap. xi.* vbi ex variis tr. talmud. haecce recenset, et *cap. viii.* enarrat, quod iudaei etiam lauerint se ob impuros spiritus,

quos isti in manibus quiescere putassent, donec abluerentur.

\*\*\* in tr. *Moses et Aaron. lib. i. cap. x. §. 14. p. 95.*

\* *notis ad Goodwinum p. 96.*

\*\* *locis antea memoratis.*

superstitionis rei merito a christo obiurgarentur, prout SEB. SCHMIDIUS \* et IO. FRANC. BVD-DEVS \*\* monuerunt.

## §. VII.

Nec minus immerfio, qua peregrini in sinum ecclesiae iudaicae recipiendi, προσήλυτοι dicti, praeter alios ritus, ad religionem iudaicam initiabantur, quaeque vulgo βαπτισμός τῶν προσηλύτων, et a iudaeis סבילה גרים vocatur, silentio praetereunda est. προσήλυτοι ab aduentando ita dicuntur, quia hi ad ecclesiam iudaicam aduentabant, vt in eius gremium susciperentur. Vox ipsa apud LXX. INTERPRETES \*\*\* et in aliis locis etiam noui testamenti \* occurrit. Tales προσήλυτοι in actis apostolorum \*\* sunt intelligendi, quod Syrus interpres confirmat, quum haec verba ponit:

אֵלֶּיךָ יְהוָה אֱלֹהֵינוּ  
 חַוֵּנוּ וְנִשְׁמָחֶיךָ  
 מִתְּשׁוּבָתֵנוּ יְהוָה  
 מִלְּפָנֶיךָ יְהוָה

erant autem viri habitantes Hierosolymae; timentes deum, iudaei ex omnibus gentibus, quae sub coelo sunt, vbi iudaeorum ex aliis gentibus factorum mentio fit, prout

\* in tr. Geheimnis der beyden Sacramenten des neuen Testaments. p. 31. seq.

\*\* de atheismo et superstitione cap. viii. §. 6. vbi etiam hic beatus vir celeberrimum PVFENDORFIUM iure meritoque commendat.

\*\*\* exod. xxii, 21. et in multis aliis locis.

\* Matth. xxiii, 15. act. ii, 10.

\*\* cap. ii, 5. in quo loco accurate perlustrando LVDOVICVS DE DIEV in critica sacra collocavit diligentiam.

prout et hoc loco \*\*\* προσήλυτοι expresse nominantur. Varia habebant hi προσήλυτοι nomina. Si quis natus erat patre profelyto et matre hebræa, dicebatur בן גר si vero patre hebraeo et matre profelyta בן גרה vel בן גיורת, sin vero patre et matre profelytis בג"ב quam abbreviaturam IO. BVXTORFIVS \* ita exprimit: בן גיורת בן גר בן גיורת filius peregrini, et filius peregrinae. Diuidebantur rursus in גרי שער profelytos portae, et in גרי צדק ברית profelytos iustitiae, siue foederis. Quod ad illos attinet, profelyti portae ideo dicuntur, quia, quum caeteri iudaei ad templum se conferrent et atrium laicorum intrarent, hoc illis non licitum erat; sed ante portam atrii expectare debebant. Nam hi circumcissione non erant in dei foedus suscepti; nec Mosis ceremoniis et legibus subiici, patiebantur; sed adstringebantur tantum obseruandis septem Noachidarum praeceptis. Verumtamen sedem suam habebant inter iudaeos, quod MAIMONIDES \*\* clare monstrat, dicens: אדם קבל עליו שבע מצות הרי זה גר תושב si suscepit septem praecepta, est peregrinus habitationis, vt DIONYSIVS VOSSIVS \*\*\* haec verba reddit. Alia profelytorum iustitiae; siue eorum, qui גרי צדק vel גרי ברית nominantur, erat conditio. Hi legem Moisaicam integram accipiebant: in foedus suscipiebantur: vt alii Israelitae, nomen iudaeorum habebant: \* iisdem priuilegiis gaudebant et easdem habebant leges. \*\* Nam habebant cooptatione id, quod iudaei natiuitate, praeter hoc, quod nullus profelytus ad magistratum;

C

\*\*\* vers. 10.

\* in tr. de abbreviaturis hebraeorum p. 48.

\*\* in tr. de idololatria cap. x. §. 2. quem DIONYSIVS VOSSIVS notis illustravit.

\*\*\* in notis ad h. tr.

\* Esth. viii, 17. licet nomen profelytorum non plane amitterent.

\*\* exod. xii, 48. num. xv, 15.

tum; aut praefecturas civiles ac militares admitteretur; nec assessor trium conciliorum, vti CAROL. LVDOV. HOHEISEL ex rabbinorum scriptis annotat, \*\*\* constitueretur. Omnes hi *αυτοματως* solius religionis causa et gloriae Dei studio, nullis praemiis ad iudaismum trahi debebant. Haec est ratio, cur *גרורים* siue *tracti* vocarentur. Quisque horum iudaicae religioni per circumcisionem, baptismum; siue immersionem et sacrificium initiabatur. Nam sic iudaeorum magistri, vt LVDOV. DE DIEV \* obseruat, loquuntur: *ישראל לא באו לכרית אלה בשלשת דברים כמילה ובטבילה ובהצית דקרנן* *אן הגרים כיוצא בהם* i. e. *Israelitae non ingrediuntur in foedus; nisi tribus rebus, circumcissione, baptismo; siue immersione, et placamento oblationis, etiam profelyti similiter.* In his ritibus baptismus valde necessarius erat, ita, vt sine isto circumcisio \*\* nihil valere crederetur, quod laudatus DANZIVS \*\*\* ex variis iudaeorum argumentis monstravit. Hic baptismus, qui tribus testibus praesentibus, vt MARTIN. GEIERVS \* ex iudaeorum scriptis annotat, peragebatur, ita vt initiandi in aquam immergerentur, tam validus tamque efficax esse credebatur, vt baptizati tanquam recens nati infantes putarentur; \*\* nec pristinam amplius gentem; aut consanguineos habere; sed ex illa gente, cui inserti erant, esse censerentur. De origine huius baptismi multa sunt disputata; quae vero re-

\*\*\* *observation. philologico-exegeticis in quaedam δυσνόητα loca Iesiae p. 300.*

\* *in critica sacra in Matth. xxxiii, 15. Rem ipsam multi antiquitatum auctores enarrant.*

\*\* *exod. xii, 48.*

\*\*\* *disputat. de baptismo profelytorum, §. 19. praesertim in notis p. 28. 29. 30.*

\* *comment. in psalm. xxxix, 13.*

\*\* *in tr. talmud. Ieuamoth. fol. 22.*



censere, ratio instituti mei non patitur. Conferri interim potest CHR. FR. BOERNERVS, \*\*\* qui in his controuersis enarrandis valde occupatus est. Baptismum huncce iam ante Ioannis ministerium vsu receptum fuisse, veritati admodum consentaneum est; neququam autem fuit a deo praeceptus; nec constituit sacramentum; sed ritibus iudaeorum merito adnumerandus est. Legendi sunt IO. DRVSIVS, \* IO. SELDENVS, \*\* IO. HENR. HOTTINGERVS, \*\*\* PAVLL. SLEVOGTIVS, \* PETR. CVNAEVS, \*\* IO. GERHARDVS, \*\*\* IO. BENEDICT. CARPZOVIVS \* IO. FRANCISCVS BVDDEVS, \*\* PETRVS ZORNIVS, \*\*\* aliique plures.

## §. VIII.

Significatus improprius et metaphoricus vox βαπτίζω etiam admittit. Nam quis nescit, quod haec vox copiosam spiritus sancti; siue donorum eius effusionem super apostolos \* in festo pentecostes factam, sub linguarum dissectarum et ignitarum schemate, \*\* signifi-

C 2

gnifi-

\*\*\* dissertat. de Ioanne

πρωτοβαπτιστη.

\* de sectis ebraeorum lib. II. cap. 15.

\*\* de iure naturae ac gentium iuxta disciplinam ebraeorum lib. II. cap. II. et de synedriis veterum ebraeorum p. 90. item de successione in bona defunctorum cap. 24.

\*\*\* thesaur. philol. lib. I. cap. I. sect. III.

\* disputation. academic. diff. XIV. part. II. p. 869.

\*\* de republica ebraeorum lib.

I. cap. 13.

\*\*\* comm. ad Matth. XXIII, 15.

\* not. ad Schickardi ius regium p. 330.

\*\* institut. theol. dogm. libr.

V. cap. I. p. 1434.

\*\*\* de baptismo proselytorum iudaico sacram. vet. testam.

\* Matth. III, 11. Marc. I, 8. Luc. III, 16.

\*\* actor. II. Deus data opera eligebat symbolum linguarum, et quidem dissectarum, pro-

pro-

gnificet? Hic est *baptismus*, vt vulgo dicitur, *flaminis*; siue βαπτισμός ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρὶ, de quo IO. CASPAR SVICERVS, \*\*\* GERHARD. IO. VOSSIVS, \* IO. SCHMIDIUS, \*\* IO. CHRISTOPH. WOLFIUS \*\*\* aliique multa litteris tradiderunt. Denominationis huius ratio non minus posita est in donorum spiritus sancti abundantia, prout ad rem quamcunque copiosam aquarum multitudo transfertur; quam in purificationis effectu. Ignis et aqua depellit partes impuras. Apostoli reuera etiam adhuc erant purgandi ab insipientia, \* fide pusilla, \*\* principatus cupiditate \*\*\* aliisque infirmitatibus.

## §. IX.

Nec minus βαπτισμός pro calamitate, cruce, morte denique vsurpatur, qui *baptismus sanguinis*; \* aut *martyrii* \*\* vocatur. Scriptura sacra ipsa hanc vocem ita vsurpat, quemadmodum Iesus discipulos suos alloquebatur hunc in modum: \*\*\* δύνασθε πιεῖν τὸ ποτήριον, ὃ ἐγὼ μέλλω πίνειν, καὶ τὸ βάπτισμα, ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, βαπτισθῆναι; Iesum passionem suam futuram atque mortem indigitare, quis non intelligit? Ποτήριον, vti ebraeorum כוס metonymice sumitur pro potu in calice contento, et quum tale vas et iucun-

propter praedicationem euangelii in varios populos dispergendam; ignitarum vero, quia spiritus sanctus purgat corda nostra ac ignem spiritualem excitat.

\*\*\* in thesaur. eccles. sub voce βαπτίζειν.

\* dissertat. 1. de baptismo.

\*\* in disp. de baptismo spiritus sancti et ignis.

\*\*\* cur. philol. et crit. in Matth. p. 58.

\* Matth. ix, 11.

\*\* Matth. xvi, 8.

\*\*\* Marc. ix, 34.

\* Matth. xx, 22. Marc. x, 38. Luc. xii, 50.

\*\* Matth. xx, 23. Marc. x,

39. quo apostoli et discipuli christi baptizabantur.

\*\*\* Matth. xx, 23.

cundum potum et amarum recipere possit, etiam per metaphoram ad sortem atque conditionem hominum bonam; vel malam; siue ad beneficia dei atque ex iis ortam laetitiam, et ad poenas atque grauissimas calamitates, testibus MARTINO GEIERO \* et SAL. GLASSIO \*\* transfertur. Sic in scriptura sacra in bono sensu occurrit כוס ישועות calix salutem; siue omni salute refertus, \*\*\* et in malo sensu כוס התרעלה poculum horro-  
 ris \* כוס היין החמרי \*\* poculum excandescientiae eius \*\* poculum vini excandescientiae. \*\*\* In eodem sensu et alibi occurrit ποτήριον, \* et ita in verbis christi citatis sumi debet, quod ex locis parallelis \*\* clarius elucet quodue vox βαπτίζειν vltterius probat in malo sensu vsurpata. Nam LXX. INTERPRETES verba בעתהני פלצות \*\*\* vertunt, καὶ ἀνομία με βαπτίζει, בעת vero in piel significat exterruit. \* Sed cur βαπτισμός ad calamitatem, crucem, et mortem transferatur, intellectu facile est. Nam quemadmodum haec vox significat immergere, vt supra ostendimus; sic isti etiam, qui affliguntur, calamitatibus vndiquaque sunt circumdati, quod Dauid saepius expertus est. \*\* Ita apud CLEMENTEM ALEXANDRINVM \*\*\* phrasis occurrit: βαπτίζεσθαι ὑπὸ μέθης εἰς ὕπνον, ab ebrietate in  
 C 3 somnum

\* in psalm. LXVI, 12.

\*\* in philol. sacra lib. 7. 17.

1. cap. 1.

\*\*\* psalm. CXVI, 12. adde psalm. XXIII, 15.

\* Iesai. LI, 17.

\*\* Iesai. LI, 12. 17.

\*\*\* Ierem. XXV, 15.

\* apoc. XIV, 10.

\*\* Matth. XXVI, 39. Io. XVIII,

11.

\*\*\* Ies. XXI, 4.

\* e. c. psalm. XVIII, 5. tor-  
 rentes Belial יבעתוני torre-  
 bant me: item 1 Sam. XVI, 15.  
 spiritus Dei malus כבעתך ter-  
 ret te.\*\* psalm. LXIX, 2. 3. 15. 16.  
 XVIII. LXXXVIII, 18.\*\*\* lib. II. paedagog. cap. 13.  
 p. 155.

*sonnum demergi*; nec minus apud PLVTARCHVM \* haec loquendi rationes: βαπτίζεσθαι ὀφθαλμοῖσι, *aere alieno quasi demergi et obrui*, et βαπτίζεσθαι πόνοις ὑπερβάλλουσιν, *permagnis laboribus obrui*, notari merentur. Eodem sensu gaudet haec vox nostro in loco. Nam christus cruciatibus quasi circumdatus erat, atque obrutus, cum internis, quatenus angorem, tristitiam et dolores animae infernales sentiebat; \*\* tum externis, quatenus permagnos cruciatus, mortem denique deterrimam subire debebat. Haec est ratio, cur iam Iesaias \*\*\* christum appellauerit מְכַנְבֹת אִישׁ et cur anima Christi περίλυπος, vndiquaque quasi tristitia circumuallata, diceretur. \* Quae omnia si accurate expendamus, facili negotio ex iis colligere possumus,

\* alteram PLVTARCHVS adhibet in *vita Galbae*; alteram vero *vit. Phocionis*.

\*\* Dolores et angores christi *Matth.* xxvi, 37. 38. *Marc.* xiv, 33. *Luc.* xxii, 44. magna cum emphasi repraesentantur. Nam euangelistae dicunt, eum coepisse λυπεῖσθαι, ἐκθαμβεῖσθαι, et ἀδημονεῖν. λυπεῖσθαι significat *tristem esse et dolore affici*; ἐκθαμβεῖσθαι vero maiori gaudet vi, et denotat *expauescere*, vt angor in ipso corpore sese exerat: ἀδημονεῖν tandem significat *grauiter angere*, imo propemodum prae dolore exanimari. Haec verba christi angorem et passionem satis exprimunt.

\*\*\* *cap. LIII, 3.* Haec loquendi ratio notatu dignissima est. Nam מְכַנְבֹת אִישׁ significat *virum afflictissimum*, vt אִישׁ דְּכָרִים *exod.* iv, 10. *loquendi peritissimum*, אִישׁ מְלַחְמָה *belli peritissimum*, I *Sam.* xvi, 18. et אִישׁ הָאֲדָמָה *agriculturae maxime peritum* indicat. Sic christus etiam erat afflictissimus, et magnis doloribus prae omnibus hominibus afficiebatur; prout vox מְכַנְבֹת grauissimos dolores indicat. Nam descendit a כָּנָב, quod *gen.* xxxiv, 35. de grauibus sumitur doloribus.

\* *Matth.* xxvi, 38.

mus, quod christus ad passionem suam futuram digi-  
gitum intenderit.

## §. X.

Nec incognitus est typicus huius vocis signifi-  
catus, quo Paullus miraculosum Israelitarum per ma-  
re rubrum transitum sub Mose factum indicat. \*\*  
Variae de hoc loco extant sententiae, quas IO. CAS-  
PAR SVICERVS \*\*\* et IO. CHRIST. WOLFIVS \*  
recensent. Syrus interpres verba εἰς τὸν Μωσῆν vertit  
*بِسْمِ* *مُوسَى* per manum Mosis; siue ministerio Mosis,  
cuius vestigia premunt LVDOVICVS DE DIEV, \*\*  
AEGIDIVS GVTBIRIVS \*\*\* et IO. GEORG. DOR-  
SCHEVS. \* Ast, licet hi viri sententiae suae fidem  
acquirere, omni diligentia contendant; nodus tamen  
accuratius solui potest. Scopus apostoli omnino  
considerandus est. Paullus Corinthiis falsam exime-  
re volebat opinionem, quod satis sit ad placendum  
deo, baptizatum esse, atque vti sacra coena, quo-  
rum prius est sacramentum initiationis: alterum sacra-  
mentum confirmationis. Vt itaque eos conuince-  
ret, in exemplum protulit patres, qui erant quidem  
populus dei; sed deo non omnes placebant, licet  
religione et doctrina, quam Moses diuino mandato  
tradidit, initiati fuerint, et esca et potu spirituali  
confirmati. Ita ostendit typum sacramenti initiatio-  
nis fuisse in nube atque in mari, et typum sacramen-  
ti confirmationis in cibo et potu, quos spirituales  
vocat.

\*\* I Cor. x, 1. 2.

\*\*\* in thesauro ecclesiastico  
tom. I. p. 623.\* in curis philol. et criticis in  
b. l. p. 444.

\*\* in critica sacra in b. l.

\*\*\* praefat. nouo testamento  
Syriaco adiecta p. 14.\* pentadec. dissertat. num. IV.  
ad Galatas III, 27.

vocat. Hic apostoli verus scopus si accuratae considerationi subiiciatur, sensus verborum facili negotio eruendus est. Vox *Μωσῆς*, CHRISTIAN. NOLDIO \*\* CASP. HERMANN. SANDHAGENIO \*\*\* aliisque annotantibus, sumitur pro doctrina Moſis, ita vt βαπτίζεσθαι εἰς τὸν Μωσῆν nihil aliud inuoluat, quam in professionem doctrinae a Moſe traditae, solemni quasi tingendi ritu, initiari, vt isti, tanquam fideli dei ministro \* et typo Christi, \*\* teste SALOM. GLASSIO, \*\*\* fides sit adhibenda, id quod locus parallelus \* maxime confirmat, vbi de Israelitis dicitur: וַיֵּאֱמְנוּ בַיהוָה וּבַמֹּשֶׁה עַבְדוֹ *credebant in Deum, et in Moſen seruum eius.* Ratio, cur patres dicantur baptizati εἰς τὸν Μωσῆν ἐν τῇ νεφέλῃ καὶ ἐν τῇ θαλάσῃ, facile concipi potest. Ducebantur nimirum Israelitae miraculosum in modum per mare rubrum \*\* et in deserto illis nubes dux erat, viamque monstrabat, \*\*\* quae etiam eos simul obtegebat, ne aestu laederentur. \* Haec miracula satis sufficientia erant ad doctrinam et religionem per Moſem traditam stabiliendam. Quum vero isti per mare ita transirent, vt aqua ab utroque latere staret, et quum ex nube, monente SALOM. DEYLINGIO, \*\* absque dubio guttulae deciderent, quae eos conspergebant, immergebantur quasi et adper-

\*\* in notis ad concord. ebr. partic. ad exod. xiv, 31. p. 816.

\*\*\* decad. II. theologischer Sendschreiben p. 213.

\* exod. xiv, 31. ebr. III, 5.

\*\* quod ex ep. ad ebr. III, 2. satis luculenter apparet.

\*\*\* in philol. sacr. lib. III. tr. III.

• exod. xiv, 31.

\*\* exod. xiv. quod et Paulus in nostro loco v. 1. indicat.

\*\*\* exod. XIII, 21.

\* ps. cv, 39. vbi Dauid de deo haec verba ponit: פָּרַשׁ עֲנַן לְמִסְכָּךְ *expandit nubem in tegmen*, ne Israelitae vehementis solis aestu turbarentur.

\*\* obs. sacr. part. 1. obs. 4. p. 24.

adspergebantur. Haec est ratio, cur patres baptizati dicantur.

## §. XI.

An vero βαπτισμός denotet simpliciter doctrinam, vt multi arbitrantur, iure dubito. Nam hic baptismus luminis non adeo firmis stat fundamentis. Ambabus quidem, vt aiunt, manibus largior, totum ministerium Ioannis adeoque doctrinam eius simul in locis a patronis huius sententiae citatis \*\*\* indicari; nunquam tamen βαπτισμός, fatentibus ABRAHAMO CALOVIO, \* IO. GEORG. DORSCHEO \*\* et IO. SCHMIDIO \*\*\* aliisque simpliciter pro doctrina accipitur.

## §. XII.

Variis et propriis et impropriis τῆ βαπτίζεν per-  
lustratis significationibus, ad eam, quae frequentissi-  
ma, et in euangelistarum apostolorumque scriptis ma-  
xime obuia est, pedem promoueo, qua baptismus,  
cuius primus administrator Ioannes erat \* quemque  
christus institutione sua magis confirmauit, \*\* deno-  
tatur.

D

tatur.

\*\*\* act. xviii, 25. xix, 3.  
et in aliis locis a IO. GER-  
HARDO loc. de baptismo §. 3.  
enarratis.

\* system. theol. loc. tom. ix.  
p. 150.

\*\* in pentadec. dissertat. iv.  
de ineffabili christi in baptismo  
inditione.

\*\*\* diff. de baptismo spiritus  
sancti et ignis.

\* Matth. iii. Marc. i. Luc.  
iii. Io. i. et iii.

\*\* Nam Ioannis baptismus

ab eo, quem christus instituit,  
non discrepat, licet id in con-  
cil. Tridentin. sess. vii. can. i.  
affirmatum fuerit. Inter se o-  
mnino conueniebant: ratione  
originis, quum vterque a deo  
esset: ratione obiecti, quia o-  
mnes, qui volebant, aqua ba-  
ptizabantur: ratione formae,  
quoniam vterque nomine chri-  
sti peragebatur, licet Ioannes in  
nomine messiae mox venturi  
et manifestandi; apostoli vero  
nomine christi iam manifestati  
bapti-

tatur. Inter eos, qui ad loca, in quibus βαπτισμός hoc sensu occurrit, colligenda operas contulerunt, ABR. CALOVIVS \*\*\* principem locum tenet.

### §. XIII.

Baptismus in sensu strictissimo atque apostolis et euangelistis vsitatissimo sumtus, est actio diuinitus instituta, \* qua omnes et adulti et infantes\*\* aqua \*\*\* coniuncta cum spiritu \* ac verbo

baptizarent: ratione finis, quum vterque esset ianua ad regnum gratiae, ac spectaret ad collationem et obsignationem remissionis peccatorum: conf. MARTIN. CHEMNITIVS in *concil. Trid. exam. part. II. p. 316.* IO. GERHARDVS in *confess. cathol. p. 1109.* IO. AD. SCHERZERVVS in *anti-Bellarmino p. 490.*

\*\*\* in *system. loc. theol. tom. IX. p. 149.*

\* Nam Ioannes a deo erat missus ad baptizandum, *Matth. III, 15. Luc. III, 3. Io. I, 6.* Christus porro confirmabat hunc baptismum, *Matth. XXVIII, 19.* baptismus ipse medium salutis est, *Ioan. III, 5.* quod nullum alium; quam salutis auctorem, deum nimirum, habet.

\*\* ad infantes quod attinet, isti omnino sunt baptizandi. Argumenta a IO. AD. SCHER-

ZERO in *syst. theol.* aliisque theologis in medium allata, et ab illimitati mandati vniuersalitate, *Matth. XXVIII, 19.* vniuersali necessitate, *Io. III, 5. 6.* ab apostolica interpretatione, *actor. II, 39.* ab exemplo apostolorum, qui integras familias baptizarunt: a circumcisionis paritate, deriuata magno pondere gaudent.

\*\*\* quae terrenam constituit materiam. Et Ioannes et apostoli semper aqua baptizabant: conferri hic potest SAM. SCHELWIGIVS in *diff. de materia baptismi.*

\* quem solum materiam; siue rem caelestem baptismi constituere, nonnulli docent et prouocant ad *Ioann. III, 5.* Sicut enim ἐξ ratione aquae denotet materiam; siue rem terrenam; ita etiam eadem vox ( nisi duplicem sensum



bo diuino a peccatis abluuntur, regenerantur, renouantur. \*\*

## §. XIV.

Hunc baptismum in numero sacramentorum esse, neminem latebit; quid vero sit sacramentum, considerari omnino meretur. Vocabulum *sacramenti* vario accipitur sensu. Non tamen apud animum constitui, usum eius, quo apud LIVIVM \*\*\* atque alios sponsio iurisiurandi militaris, quod DIONYSIVS HALICARNASS. \* *ἑρατιωτικὸν ὄρκον* vocat, denotari solet, inuestigare; sed usum ecclesiasticum, de quo MARTIN. CHEMNITIVS, \* IO. GERHARDVS, \*\* GERHARD. IO. VOSSIVS, \*\*\* IO. CONRAD. DANNHAVERVS \* aliique magno studio egerunt, significabo. In sensu maxime generali sumitur haec vox, vt Graecorum *μυστήριον*, \*\* pro quacunque re arcana et mystica, in quo significato vulgatus interpres hanc vocem saepius vsurpat. \*\*\* Speciali sensu pro rei alicuius sacrae et coelestis si-

D 2

gno

sum litteralem in eadem propositione violenter fingere quis velit) ratione spiritus denotet rem coelestem, quod et pateat ex I Cor. vi, 11. et, I Ioan. v, 8. Reliquae trinitatis personae neutiquam sint excludendae.

\*\* act. 11, 38. Tit. 111, 10. Io. 111, 5.

\*\*\* lib. 11. c. 53.

\* in antiqu. Rom. lib. vi. p. 359.

\* in examine concilii Tridentini part. 11. loc. 1. p. 274.

\*\* loc. theol. tom. 11. loc. de sacramentis p. 212.

\*\*\* diff. de sacramentorum natura ac imprimis vi et efficacia.

\* hodosoph. christ. phaenom. x. p. 718.

\*\* Dan. 11, 19. I Tim. 111, 16. apoc. xvii, 7.

\*\*\* Nam si Paulus I. Tim. 111, 16. dicit: ὁμολογημένως μέγα ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον, vulgatus interpres haec ita vertit: manifeste magnum est sacramentum pietatis,

ac

gno adhibetur, quale in iride tempore diluuii: \* in serpente in baculo exaltato \*\* et in vellere Gideonis \*\*\* occurrit: sic etiam AVGVSTINO \* ἀεροκλασία \*\* sacramentum, testibus IO. AD. OSIANDRO \*\*\* et ABR. CALOVIO, \* dicitur. Vfus vocis huius maxime specialis est, quum ea significatur actio diuinitus instituta, \*\* qua per externum et visibile elementum quoddam coniunctum cum verbo diuino bona inuisibilia offeruntur, conferuntur, obsignantur. \*\*\* Hanc sacramenti significationem admodum frequentem esse, inter omnes constat.

## §. XV.

Quum itaque omnia sacramenti sensu ecclesiastico adhibiti requisita in baptismo strictissime sumto concurrant, quis isti vim ac virtutem sacramenti iure denegaret, non video. Id baptismum hunc ab  
omni-

ac Ioannis *apoc.* xvii, 7. verba: ἐγὼ σοι ἐρῶ τὸ μυστήριον τῆς γυναικὸς κ. τ. λ. hac ratione: ego tibi dicam sacramentum mulieris: adde *Sirac.* xxvii, 16. *Tob.* xii, 6. *Ephes.* v, 32. 2 *Theff.* ii, 9.

\* *gen.* ix, 13.

\*\* *numer.* xxi, 8.

\*\*\* *iud.* vi, 37.

\* *lib.* xix. *contra Faustum*, cap. xiv.

\*\* *Luc.* xxiv, 35.

\*\*\* *theol. casual. part.* iii. p. 203.

\* *system. loc. theol. tom.* ix. p. 89.

\*\* Nam siue circumcisionem *gen.* xvii, 11. consideres; siue agnum paschalem, *exod.* xii, 3. siue baptismum, *Matth.* xxviii, 19. siue sacram coenam, *Matth.* xxvi, 26. quae omnia sacramenta dicuntur, deum illorum auctorem esse, facile cognosces.

\*\*\* in omnibus his sacramentis, quae iam recensui, quorum duo priora veteris testamenti sunt; duo posteriora verò noui testamenti, non externam solum materiam inuenies; sed etiam verbum diuinum, ac bona inuisibilia, gratiam

omnibus reliquis, quos supra ordine perlustrauimus, praesertim a baptismis et lotionibus Leuiticis distinguit, vt recte monuit CHRYSOSTOMVS \* hunc in modum: τὸ μὲν ἐν Ἰουδαϊκὸν καθάρσιον ἀμαρτημάτων μὲν ἐν ἀπήλλαττε, ῥύπων δὲ σωματικῶν μόνον· τὸ δὲ ἡμέτερον ἔ τοιῶτον, ἀλλὰ πολλῶ μείζον, καὶ πολλῆς γέμον χάριτος. καὶ γὰρ ἀμαρτημάτων ἀπαλλάττει καὶ ἀποσμήχει καὶ πνεύματος δίδωσι χωρηγίαν, itaque iudaica illa quidem purgatio nequaquam a peccatis liberabat; sed a corporeis sordibus tantum; nostra vero talis non est; sed multo maior, ac multa plena gratia: nam et a peccatis liberat et animam abstergit, et spiritus gratiam largitur. Nam hic baptismus, vti Petrus loquitur, \*\* est ἔ σαρκὸς ἀπόθεσις ῥύπων, ἀλλὰ συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς Θεὸν, quem aureum locum IO. GERHARDVS, \*\*\* SEB. SCHMIDIVS\* et SALOMO DEYLINGIVS \*\* pro more suo optime exposuerunt. Haec est ratio, cur patres eximium huncce baptismum pulcherrimis ornarunt nominibus. Nam a THEODORETO \*\*\* vocatur ὕδωρ λυτήριον τῶν ἀμαρτημάτων καὶ καθάρτηριον τῶν ψυχῶν, a BASILIO\* ὄχημα πρὸς ἔρανόν, βασιλείας πρόξενος, et a GREGORIO NAZIANZENO \*\* κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν ἔρανῶν. En admirabilem huius sacramentalis baptismi praestantiam!

## D 3

## §. XVI.

riam nimirum diuinam iis annexam, deprehendes. Nam finis illorum non est σημαντικός tantum; sed μεταδοτικός, siue exhibitivus, et σφραγιτικός, obfignatiuus.

\* orat. de Baptismate Christi.

\*\* I Petr. III, 21.

\*\*\* comm. in h. l.

\* colleg. biblico part. II. p. 313.


\*\* obseru. sacr. part. I. p. 194.


\*\*\* in cap. XXXII. Iesaiæ, tom. II. oper. p. 89.


\* homil. XIII. tom. I. p. 413.

\*\* orat. XL. in baptismum.

## §. XVI.

Hunc baptismum sacramentalem in nostro loco Paullino intelligendum esse; nec vllum alium, sole meridiano clarius est. Nam requirit id significatio τὴ βαπτίζειν ab apostolis et euangelistis frequenter vsurpata, prout Syrus interpres vocem  adhibuit, quae secundum VALENTIN. SCHINDLERI \*\*\* et IO. GEORG. DORSCHER \* testimonium atque ex inductione multorum exemplorum admodum frequenter baptizare denotat. Cur itaque ab ordinaria et in codice sacro vsitatissima huius vocis significatione sine ratione legitima recedere velimus, non video. Nec apostoli, qui se totos ad voluntatem et arbitrium domini sui accommodare debebant: qui fideles erant oeconomii: \*\* qui etiam reuera christum audire eidemque obedientiam praestare, iussi sunt, \*\*\* alium substituere poterant baptismum, quam qui ipsis a christo erat mandatus. Hic vero erat baptismus, vt dicitur, sacramentalis. Militat etiam pro hac sententia ipse contextus. Nam si hunc consideramus, non solum hic baptismus εἰς χεῖρὸν factus est, quod nulli alii competit; sed etiam tanquam praeclarum fidei et *ὁδοθεσίας* consequendae medium repraesentatur, quod ex contextu satis luculenter apparet. Paullus omnino vult ostendere, iustificationem non ex lege; sed per fidem in Christum acquiri, et homines sub lege esse seruos; sed per fidem in Christum omnes fieri liberos Dei. Vt autem lectores suos eo magis conuinceret, fundamentum

\*\*\* in lexico polyglotto, sub voce  ad Galat. III, 27.

voce 

\*\* I Corinth. IV, 1.

• pentadec. dissert. nam. IV.

\*\*\* Matth. XVII, 5.

tum adfert, cur *ὕιοθεσίαν* nacti fuerint, nempe regenerationem, cuius ope christum adsumsissent et induissent. Nam *ὅσοι ἔλαβον αὐτὸν, ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν, τέκνα θεῶν γενέσθαι, τοῖς πιστεύουσιν εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ.* \* Sed per baptismum fidem acquirimus et regeneramur: \*\* ergo etiam per baptismum christum induimus, filiique dei constituimur. Quodsi itaque baptismus in nostro loco memoratus medium gratiae est genuinum, deum, tanquam salutis auctorem, istum instituisse, quis in dubium vocabit. Haec argumenta firmis stant fundamentis et satis probant, baptismum sacramentalem in hoc loco esse intelligendum.

## §. XVII.

Quod ad voces *εἰς χειρὸν*, quae in textu occurrunt, attinet, defunt illae in nonnullis codicibus et in Lutheri versione; res tamen adhuc integra est. Nam optimi codices et antiquissimae versiones haec verba exhibent, prout Syrus interpres illa ita transtulit:

*ⲁⲓⲛⲁⲓ ⲛⲓⲛⲁⲓ ⲛⲓⲛⲁⲓ* et vulgatus etiam bene vertit. Varias extant horum verborum expositiones. Multi, quos IO. GERHARDVS \*\*\* in medium profert, eo progressi sunt audaciae, ut apostolos formulam a christo praescriptam permutasse, statuere, non erubuerint. Verum tamen hi cribro aquam hauriunt. Apostoli, qui *εἰς χειρὸν* et *ἐν ὀνόματι τοῦ χριστοῦ* baptizarunt, nulla ratione sunt reprehendendi. Patres iam omnem operam in his verbis recte exponendis collocarunt, ex quibus praesertim nominandus est BASILIUS. \*  
Dicit

\* Io. I, 12.

\*\* Io. III, 5. Tit. III, 5.

\*\*\* in actor. cap. II.

\* cap. XII. de spiritu sancto.

Dicit enim ita: ἡ τῷ χριστῷ προσηγορία τῷ πατρὸς ἐστὶν ὁμολογία, δηλοῖ γὰρ τὸν τε χρίσαντα Θεὸν καὶ χρισθέντα υἱὸν, καὶ τὸ χρίσμα τὸ πνεῦμα, quo et IRENAEVS \*\* aliique spectant. Magna profecto emphasi magnoque pondere gaudet haec ratio loquendi. Βαπτίζομενοι εἰς χριστὸν enim sunt illi, qui acceperunt baptismum in nomine christi, vsum huius sacramenti instituentis ac praecipientis simulque efficaciter operantis, administratum: qui in doctrinam a christo traditam sunt baptizati, quod typus, nimirum βαπτισμὸς εἰς μωσῆν adumbrabat: qui porro per baptismum in Christum, tanquam vitem, \*\*\* vt in arborem furculus,\* quasi implantati atque cum eo vniti sunt. \*\* Nam sic alibi \*\*\* apostolus dicit: ἐν ἐνὶ πνεύματι ἡμεῖς πάντες εἰς ἓν σῶμα ἐβαπτίσθημεν, id est, ad vnum corpus mysticum, quod ab vno eodemque capite regitur: in quo membra arcte coniunguntur: quod vno eodemque cibo et potu vtitur, et quod iisdem tegitur vestibus spiritualibus. Haec vnio cum Christo: haec implantatio in christum non potest non facere, vt homines per baptismum cum christo vniti omnium passione et morte eius acquiritorum beneficiorum reddantur participes. Id Paullus affirmat ac dicit: \* ὅσοι ἐβαπτίσθημεν εἰς χριστὸν Ἰησοῦν, εἰς τὸν θάνατον αὐτοῦ ἐβαπτίσθημεν κ. τ. λ. nec vt IAC. WELLERVS, \*\* IO. GERHARDVS, \*\*\* FRIED. BALDVINVS, \* ABR. CALLO-

\*\* lib. III. cap. 20. p. 282.

\*\*\* Io. xv, 5.

\* Rom. xi, 17. 23.

\*\* Anglicana versio id satis luculenter etiam ostendit, quum voces εἰς χριστὸν emphatice exhibet: into Christ, ac si baptizati

in christum quasi ingrederentur.

\*\*\* I. Cor. xii, 13.

\* Rom. vi, 3.

\*\* ad hunc locum p. 369.

\*\*\* comment. in b. l.

\* comm. ad b. l. p. 113.

LOVIVS \*\* et GODOFR. WEGNERVS \*\*\* docent, professionem fidei de morte ac sepultura christi solum indicat; sed potius baptizatos in christum participes fieri efficaciae mortis christi, omniumque morte comparatorum beneficiorum. Causa ponitur pro effectu: mors christi pro thesauris, quos christus morte sua comparavit. Nam christus non solum homines per lapsum in miserrimum coniectos statum ab omni malo liberavit; sed iisdem etiam coelestes acquisivit diuitias. Hic est ille magnus servator, qui de se ipso dicit: \* רב להושיע id est, *sufficiens ego sum ad saluandum*, vt CAROL. LVDOV. HOHEISEL \*\* vertit; siue vt paraphrastes chaldaeus reddit: קרמי חיל למפרק *apud me est robur ad redimendum*. Hic est magnus noster redemptor, καταργήσας τὸν θάνατον, φωτίσας δὲ ζωὴν καὶ ἀφθαρσίαν διὰ τῆς εὐαγγελίᾳ. \*\*\* O magnum redemptorem! o pretiosissimas diuitias a christo nobis comparatas! Non comparavit vero solum christus hosce thesauros; sed isti etiam hominibus per veram fidem attribuuntur, et quum baptismus non exiguum sit fidei consequendae medium, iam per baptismum haec beneficia omnia, vti Paullus hoc loco vult, cum hominibus communicantur, ita vt in iudicio diuino tales, qui ipsi αὐτοπροσώπως pro peccatis mortui essent, et satisfecissent, hincque iusti declarentur. \* Nam per baptismum fit peccatorum remissio: \*\* per baptismum spiritus sancti redimur participes, \*\*\* quem christus nobis morte sua

E pro-

\*\* *bibl. illustr. in h. l.*

\*\*\* *dissert. de indumento baptismali p. 10. sqq.*

\* *Iesa. LXIII, 1.*

\*\* *obs. philol. exeget. in quaedam δυσνόητα Iesaiæ loca in h. l.*

\*\*\* *II. Tim. 1, 10.*

\* *Rom. 1, 17. III, 22. sqq. et v. 26. v, 1.*

\*\* *act. II, 38. et XXII, 16. et in aliis locis.*

\*\*\* *act. II, 38.*

promeruit: \* qui naturam peccatis corruptam emendat, ac renouat, vt peccato mortui simus, eidemque non amplius; sed christo et iustitiae uiuamus. \*\* His consideratis, quid Paullus voluerit, facile apparet. Mens eius haec erat. O vos, Galatae, vos omnes, qui baptizati fuistis in doctrinam et religionem christi, salutis vestrae auctoris, ita vt in istum implantati, et cum eo vniti omnium beneficiorum a christo comparatorum participes facti fueritis, et a peccati dominio liberati, eidem mortui sitis, vos, inquam, induistis christum.

## §. XVIII.

Quo admirabilior et notatu dignior est hic βαπτισμός εἰς χριστόν, eo maiores sunt eius effectus. Nam ὅσοι εἰς χριστόν ἐβαπτίσθητε, inquit apostolus, χριστόν ἀνεδώσαθε. Non pauci; sed omnes, qui baptizati in christum sunt atque regenerati, nullo excepto et in hoc sensu, quo christus dicit: \*\*\* ὅσα ἔχει ὁ πατήρ, ἡμέα ἐσὶ, nihilque excludit, christum induerunt. Hinc THEODOR. BEZA recte vertit: *quicumque baptizati fuistis, quod et Paullus \* affirmat.* Ultima textus nostri

\* Io. XVI, 7. XIV, 16. 26.

\*\* Rom. VI, 11. et I Petr. II, 24. In priori loco occurrit phras̄is: νεκρὸν εἶναι τῇ ἀμαρτίᾳ, quae metaphoricè sumi debet pro: renunciare peccato; nec operationi eius locum dare; sed infrugiferum et otiosum illi esse, sicut naturaliter mortuus non agit; vel operatur, vt SAELOM. GLASSIVS *rhetor. sacr. 17. 1. cap. 12.* monuit. Nec minori gaudet emphasi phras̄is, in loco Petri adhibita: ταῖς ἀμαρτίας ἀπογίνεσθαι, quam THEO-

DOR. BEZA aliique recte quidem reddunt: *peccatis mortuum esse, praesertim quum verbis: ἵνα τῇ δικαιοσύνῃ ζήσωμεν* opponitur. Ast proprie denotat ἀπογίνεσθαι *decedere*, quare etiam HENRICVS STEPHANVS in *append. thes. graec. lingu.* notat, quod ἀπογενόμενοι sint defuncti; vel isti, qui decesserunt, ἀπελθόντες quasi. Itaque credentes a peccato decedere istique nullum locum concedere debent.

\*\*\* Ioan. XVI, 15.

\* v. 28.



stri verba: *χριστὸν ἐνεδύσαθε* \*\* accuratius considerari merentur. Syrus interpres haec verba ita transtulit:

*لصومس لجمه*. Et *ἐνδύειν* et *لحم*, vt hic;

sic in aliis locis in sensu figurato et improprio sumitur. \*\*\* Apostolus per hanc loquendi rationem figuratam nihil aliud vult indicare, quam vnionem baptizatorum cum christo, et certam collationem ac appropriationem omnium beneficiorum per meritum christi acquisite, ita vt homines cum christo vniti, christi imagini etiam conformes sese sistere \* debeant.

### §. XIX.

Cur vero Paullus praecise hanc loquendi rationem adhibuerit et vnde istam sumserit? iure meritoque quaeritur. Veritati admodum consentaneum est, apostolum ad certos ritus respexisse, vt THEODOR. HASAEVS \*\* et SALOM. DEYLINGIUS \*\*\* bene monuerunt. Neminem enim, qui vel minimam stili Pauli cognitionem habet, hanc sanctissimi scriptoris esse consuetudinem, latebit, vt dogmata sua saepius ex

E 2

riti-

\*\* hanc loquendi rationem permulti in passiva significatione accipere malunt, quibus THEODOR. BEZA, THEOD. HASAEVS l. c. alique sunt adnumerandi; at actiua significatione commode retineri potest. Retinuit etiam Syrus interpres. Nam licet nostro in loco sermo sit de iustificatione, qua homini iustitia imputatur; homo tamen ipse illam induere dicitur, quatenus credit, et per fi-

dem iustitiam christi apprehendit, sibi que applicat, *Phil. III, 8. 9. 12. 13.* prout etiam induitio christi ad sanctificationem hoc loco non excludenda est.

\*\*\* *Rom. XIII, 12. 14. Ephes. IV, 24. VI, 14. Coloss. III, 10. 12.*

\* *2 Cor. III, 18.*

\*\* in *bibliotheca Bremensi class. IV. fasc. VI. num. 3. P. 1008. sqq.*

\*\*\* *obs. sacr. part. III. p. 317. sqq.*

ritibus quibusdam illustret, ingenio illorum se accommodando, quibuscum agebat. Nam et ex iudaeorum \* et ex ethnicorum \*\* ritibus doctrinas suas illustrare solebat. Ad cuius gentis ritus apostolus vero in nostro loco alluserit, sub iudice lis est. Nonnulli ex ethaicorum ritibus: alii ex ritibus in primitiva ecclesia usitatis: alii ex iudaeorum ceremoniis hanc loquendi rationem desumptam fuisse, putant. Quenam harum sententiarum maximam prae se ferat veritatis speciem, in id nunc inquiramus.

## §. XX.

Gentilium ritus si perlustramus, usum vestium, praesertim albarum in publicis et solemnibus actionibus suscipiendis admodum frequentem fuisse, patet. Notatu dignum inprimis id erat, quod gentiles, uti THEODOR. HASAEVS \*\*\* et SALOM. DEYLINGIVS \* obseruant, ipsis deorum suorum vestibus, et quidem triumphum acturi Iouis Capitolini veste: iuraturi Cereris indumentis: sacris Isidis initiandi ipsius Isidis vestibus induerentur. Quid loquar de usu vestium linearum atque albarum, quae a Romanis, \*\* Graecis, \*\*\* Aegyptiis, \* Indis \*\* aliisque gen-

\* *epistola ad ebr.* satis multa exhibet testimonia.

\*\* sic Paullus saepius ad certamina gentilium, ludos, praemia victoribus data respexit, c. I *Cor.* IX, 24. 26. *Phil.* III, 12. 13. *Ephes.* VI, 14. 2 *Tim.* IV, 7.

\*\*\* *l. c.* p. 1009.

\* *l. c.* p. 318.

\*\* sic PLVTARCHVS de Paulli

Aemilii triumpho in eius vita p. 272. dicit: ἐσθεῶντο καθαρᾶις ἐσθῆσι κεκοσμημένοι.

\*\*\* nam Prytanei apud Athenienses, teste THEOPHRASTO *character. ethic. cap. 21.* παρεσκευασμένοι λαμπρὸν ἱμάτιον sacra peragebant.

\* quod HERODOTVS II, 37. p. 104. testatur, de illis dicens:

gentibus frequenter adhibebantur? Nonne reges a  
 DIODORO SICVLO \*\*\* aliisque scriptoribus: sacer-  
 dotes ab HERODOTO, \* APVLEIO, \*\* PLVTAR-  
 CHO, \*\*\* LVCIANO \* et ARTEMIDORO: \*\* ad sa-  
 cra Isidis initiati ab APVLEIO \*\*\* et SVETONIO: \*

E 3

prae

dicens: ἔματα δὲ λίνεα φο-  
 ρέουσι αἰεὶ νεόπλυτα, linea  
 ferunt vestimenta semper recens  
 abluta; et lib. II. cap. 81. p.  
 119. ἐνδεδύκασιν δὲ κιθῶνας  
 λινέας, περὶ τὰ σιέλεα θυσο-  
 σανωτῆς, ἃς καλέουσι καλασί-  
 ρις ἐπὶ τῆτοις δὲ εἰρίνεα ἔι-  
 ματα λευκὰ ἐπαναβληθὸν φο-  
 ρέουσι, amictuntur vestibus li-  
 neis circa crura fimbriatis, quas  
 calasaris appellant, super quas  
 candida ferunt amicula lanea,  
 superiecta.

\*\* testis est ARRIANVS libr.  
 rerum Indic. p. 539. ἐδοῦντι δὲ  
 Ἰνδοὶ λινὴν χρέοντα, λίνην τῆ  
 ἀπὸ τῶν δένδρεων, linea veste  
 utuntur Indi, lino ex arbori-  
 bus facto.

\*\*\* p. 538. vbi Philippus,  
 Macedonum rex, λευκὸν ἔχων  
 ἱμάτιον in scenam prodisse di-  
 citur.

\* lib. II. cap. XXVII. p. 104.  
 ἐδοῦντα φορέουσι οἱ ἱερεῖς λι-  
 νὴν μένην. ἄλλην δὲ σφίσι ἐδοῦν-  
 τα ἃς ἔξουσι λαβεῖν, sacerdo-  
 tes vestem tantummodo lineam

gestant; nec aliam vestem in-  
 duere, eis fas est.

\*\* metam. lib. XI. p. 261.  
 vbi testatur, sacerdotes sacro-  
 rum proceres candido linteami-  
 ne fuisse iniectos, et in apolog.  
 p. 310. de his lineis vestimen-  
 tis sacerdotum Aegyptiorum  
 multa habet.

\*\*\* de Iside et Osiride p. 352.  
 vbi idem affirmat.

\* de dea Syria p. 679. quo  
 in loco de sacerdotibus dicitur:  
 ἐδοῦν δὲ αὐτέοις πᾶσα λευκὴ,  
 vestis illis est tota alba.

\*\* oneirocrit. lib. II. cap. 3.  
 p. 83. λευκὰ δὲ ἱμάτια τοῖς  
 ἱερεῦσι μόνοις συμφέρει καὶ  
 ὀφθαλμοῖς Ἑλλήνων, alba vestimen-  
 ta sacerdotibus tantum compe-  
 tunt et seruis Graecorum.

\*\*\* lib. XI. metam. p. 261.  
 tunc influunt turbæ sacrae sa-  
 cris diuinis (Isidis) initiatae,  
 viri foeminaeque omnis dignita-  
 tis et omnis aetatis linteae ve-  
 stis candore luminosi. Ipse A-  
 PVLEIVS candidis vestibus ini-  
 tiabatur, p. 263. 264.

\* in vita Othonis, vbi Otho  
 sacra

sacra

prae aliis honorabiliores, ut Pythagoras eiusque discipuli, ab AELIANO \*\* et ATHENAEO: \*\*\* imperatores bellici a VALERIO MAXIMO: \* manumissi et libertate donati a TERTULLIANO \*\* aliique plures his vestibus lineis albis induti in scenam adferuntur? Horum rituum rationem habuisse apostolum, nonnulli arbitrantur.

## §. XXI.

Alii rationem loquendi ab apostolo adhibitam a ritibus primitivae ecclesiae petunt, quum recens baptizati et ex aqua ascendentes albis circumdarentur vestibus, id quod λαμπροφορεῖν dicebant, et tanquam symbolum lucis in baptismo acceptae considerabant. Haec est ratio, cur patres baptismum φωτισμὸν, et recens baptizatos νεοφωτίστῃς appellauerint. Vestis haecce alba variis ornabatur nominibus, siquidem a GREGORIO NAZIANZENO \*\*\* ἐμφώτειος ἐσθῆς a CYRILLO HIEROSOLYMITANO \* ἱμάτιον λευκὸν καὶ λαμπρὸν, a BASILIO MAGNO \*\* ἔνδυμα φωτεινὸν

VO-

sacra Isis in lintea religiosaque veste celebrasse, fertur. Sic etiam Cereris sacra celebrantes albis vestibus, teste OVIDIO *libr. x. metam. et libr. iv. fast.* induebantur.

\*\* *bist. var. xii, 32.* Πυθαγόρας ὁ Σάμιος λευκὴν ἐσθῆτα ἤσθητο, quod et LAERTIVS *lib. viii. segm. 19. p. 504.* affirmat, dicens: *στόλη δὲ αὐτῶ λευκὴ καὶ καθαρὰ.*

\*\*\* *deipnosoph. lib. iii. c. 18. p. 82.* vbi Pythagorici λαμπρᾶ ἰδ ἐσθῆτι ἀμφιεννύμενοι adducuntur: conferatur de ve-

*ste Pythagorae alba SIGISM. FR. DRESIG.*

\* qui *lib. i. cap. 6.* testatur, imperatoribus in proelium euntibus paludamentum nunc album; nunc purpureum fuisse datum.

\* *lib. de resurrectione carnis p. 144.* ibi ordine recensens manumissionis insignia, albam quoque vestem istis adnumerat.

\*\*\* *orat. xl. p. 655.*

\* *catech. iv. mystag. p. 532.*

\*\* in *exhortatione ad baptismum.*

vocatur. His vestibus Constantinum magnum, postquam Nicomediae baptizatus fuerat, indutum fuisse, ita testatur EVSEBIUS: \*\*\* λαμπροῖς καὶ βασιλικῶν ἀμφιδράμασι, φωτὸς ἐκλάμπουσι τρόπον περιεβάλλετο, candidis ac regis vestibus lucis instar radiantibus vestiebatur. Plura de usu harum vestium si quis cognoscere velit, legat IO. CASP. SVICERVM \* et GODOFRED WEGNERVM. \*\*

## §. XXII.

Sunt quoque, THEODOR. HASAEVS \*\*\* et SALOM. DEYLINGIVS, \* qui credunt, apostoli formulam loquendi respicere ad iudaeorum sacra, quamvis diuersa ratione. Ille putat, \*\* spectare eam ad mandatum dei, \*\*\* quod Mosi his verbis dabat: לְ  
אֵלֶיךָ הַיּוֹם וְכֵּן מָחָר  
i ad populum, et sanctifica quemque illius hodie et cras, ut lauet quisque vestimenta sua, quod et Moses populo tradidit, et populus id quoque observavit. \* Hic vero ad inaugurationem sacerdotum induitione vestium solemniter sub templo secundo factam mentem suam dirigit. \*\* Sub templo primo ad inaugurationem et  
ad

\*\*\* lib. IV. de vita Constantini, cap. 62.

\* in thesaur. eccles. sub vocibus εὐδης, ἱματίον, λαμπροφορεῖν.

\*\* diff. de alba veste baptizatorum.

\*\*\* bibliotheca Brem. cl. IV. p. 1040. sequ.

• obs. sacr. tom. III. p. 318.

\*\* p. 1018. sqq. et 1042. sequ.

\*\*\* exod. XIX, 10.

\* vers. 14.

\*\* I. c. p. 318. FRID. ADOLPH. LAMPIVS in exercitation. sacr. in psalm. XLV. exercit. VIII. p. 368. et 369. deriuat etiam hanc loquendi formulam a sacris iudaeorum; sed in eo non laudandus est, quod hanc phrasin ad pellem, quae offerenti; seu sacerdoti in vestem cedebatur, alludere putet.

ad cultum peragendum iam adhibebantur כגרי לבן  
 \*\*\* *vestes albae*, et כגרי זהב \* *vestes aureae*, sine  
 quibus sacerdotes cultum peragere non pote-  
 rant, vt IO. BRAVNIVS \*\* multa hanc in rem in me-  
 dium protulit. Verumtamen vsus vestium sub templo  
 secundo ad inaugurationem adhibitarum heic con-  
 siderandus est. Nam quum teste MAIMONIDE,  
 magno iuris iudaici interprete, \*\*\* oleum vnctionis,  
 quod vocabatur שמן הקדוש vel שמן המשחה, quo-  
 ue sacerdos summus inaugurabatur, in templo se-  
 cundo non esset \* eiusque vsus cessaret, sacerdos  
 summus sine vnctione, sola vestium sacrarum indui-  
 tione inaugurabatur, quam ob rem iste מרוכה  
 כגרים inauguratus vestibus appellabatur.

## §. XXIII.

Variis sententiis perlustratis, ad probabiliorem  
 indagandam indagatamque stabiliendam me con-  
 uerto. Prima sententia non inuenit locum, et licet  
 apostolus alias ad ritus gentilium saepius respiciat;  
 id tamen nostro in loco non factum est. Nam  
 agit cum iudaeis, iisdemque conuersis, quod con-  
 textus docet. Vult ostendere, legi ceremonia-  
 li non amplius locum esse, et quum affirmet, eos,  
 quibuscum loqueretur, sub hac lege fuisse conclu-  
 sos \*\* iisdemque hancece legem paedagogum fuisse  
 ad christum, \*\*\* quis sermonem de iudaeis esse, non  
 animad-

\*\*\* *Leu. xvi, 4. 32. exod.*  
*xxviii, 39. sqq.*

\* *exod. xxviii, 5.*

\*\* *de vestitu sacerdotum*  
*ebraeor. p. 670.*

\*\*\* *libr. כלי המקדש cap.*  
*i. §. 8.*

••• Habebant quidem adhuc

oleum; illi tamen nulla crede-  
 batur inesse sanctitas, qualem  
 habebat sub templo primo, vt  
 IO. BRAVNIVS, *l. c.* p. 692.  
 annotat.

\* *vers. 23.*

\*\*\* *vers. 24.*

animaduertit? Iudaeis ritus et sacra gentilium parum innotescebant; at si haec istis erant incognita, quomodo Paullus ex eis dogmata sua illustrare poterit; non video. Multo minus secunda sententia calculum meretur, quum valde dubium, atque scriptura sacra tacente, et praxi apostolica nihil ostendente, admodum incertum sit, num tempore apostolorum tales albae vestes vsu fuerint receptae. Veritati potius maxime consentaneum est, quod primi christiani ex hoc loco Paullino ritus hosce celebres introducendi, occasionem arripuerint. Igitur tertia sententia, quod apostolus formulam suam dicendi a vestibus sacerdotum veteris testamenti sumserit, caeteris palmam praeripit. Ii, quibuscum agit, erant iudaei conuersi, et quum omnes credentes sacerdotes noui testamenti spirituales sint, et βασιλεῖς καὶ ἱερεῖς, \* βασίλειον ἱεράτευμα, \*\* ἱεράτευμα ἅγιον \*\*\* vocentur, quid mirum, quod apostolus sacerdotum inaugurationum ritum, iudaeis maxime cognitum, ad initiationem christianorum, qui spirituales noui testamenti sacerdotes appellantur, accommodauerit? Sunt vero credentes sacerdotes metaphoricè sic dicti. Metaphora sumta est a sacrificiorum oblatione, quae olim princeps erat sacerdotum veteris testamenti functio. Id patet ex sede huius veritatis primaria, \* vbi Petrus sacerdotium credentium noui testamenti restringit ad abstinentiam a carnalibus concupiscentiis, et ad exercitium bonorum operum. Sacrificia, a quorum oblatione credentes sacerdotes vocantur, sunt θυσίαι πνευματικαὶ \*\* et quum ad sacrificium

F

quod-

\* apoc. I, 6. V, 10. XX, 6.

\* I Petr. II, 5.9. seq.

\*\* I Petr. II, 9.

\*\* *ibidem.*

\*\*\* I Petr. II, 5.

quoddam duo pertinerent, eius maectatio nimirum et oblatio, sacrificatio spiritualis duo etiam inuoluit, spirituales nempe maectationem; siue mortificationem carnis cum concupiscentiis eius: \*\*\* deinde spirituales oblationem. Offerunt credentes preces, \* quae ad deum ascendunt: cor serua poenitentia contritum: \*\* gratiarum actionem, \*\*\* laudem: \* opera pietatis erga deum, et charitatis erga proximum: \*\* denique seipsum deo offerunt et consecrant, tanquam hostias viuas, sanctas et placentes deo. \*\*\* Altare, quo sacrificia sua exhibent, est cor purum. Hoc sensu credentes dicuntur sacerdotes. Quemadmodum vero sacerdotes ad hoc munus in veteri testamento inaugurabantur, et pulcherrimis induebantur ve-

\*\*\* *Rom. vi, 11. I Petr. ii, 24. Col. iii, 5.*

\* *apoc. viii, 2. 3. 4.*

\*\* *psalm. li, 19.*

\*\*\* *psalm. l, 14.*

\* *ebr. xiii, 15.* Nam sic dicit Paullus: *δι' αὐτῶν ἐν ἀναφέρωμεν θυσίαν αἰνέσεως διαπαντός τῷ θεῷ, τῆς καρπὸν χειλέων ὁμολογούντων τῷ ὀνόματι αὐτῶν.* Haec verba absque dubio respiciunt ad vetus testamentum, quo *Leu. vii, 12.* similiter mentio fit sacrificii laudis, quod *LXX. INTERPRETES θυσίαν τῆς αἰνέσεως* vocant. item *v. 13. et I chron. xxix, 31.*

\*\* *Phil. iv, 18.*

\*\*\* *Rom. xii, 1.* Quot verba in hoc versu, tot pondera adsunt.

Paullus quum voce *παραστήσαι* utitur, extra omne dubium alludit ad solemnem victimarum constitutionem coram deo, et christianos vult excitare, ut se ipsos sistant coram deo, quemadmodum christus seipsum exhibuit in sacrificium piaculare, *ἵνα παραστήσῃ, ut nos sisteret,* et exhiberet sanctos et immaculatos, *Ephes. v, 2, 25. 27.* Credentes vero ita sese coram deo sistere debent, ut omnibus et corporis et animi viribus deum colant, et fructus fidei ferant. Sic fiunt hostiae viuae, si viua fides se se exerit per bona opera: tunc demum sunt hostiae sanctae, et mundaе, quas deus desiderat: quibus deus maxime delectatur.



vestimentis; nec sine istis sacra administrare poterant; sic etiam sacerdotes spirituales per baptismum nitiantur, vestibisque pretiosis, salutis nimirum, induuntur, quas gerere debent coram deo stantes, et sine quibus nulli ad deum patet aditus: nullus cultus: nullae preces isti placent. Hae sunt vestes salutis, iustitia, gratia diuina, vita deo accepta, quibus credentes induuntur. Quod autem ratio loquendi, qua Paullus collationem et appropriationem horum thesaurorum, a christo comparatorum, vult exprimere, et quam a vestibis earumque induitione deriuat, magnum habeat pondus, facile patet, praesertim quum qualitates vestium, quidque induere inuoluat, accurate consideramus.

## §. XXIV.

Vestes, si legitimum debent praestare vsum, corpori applicandae sunt. Ita iustitia christi et reliquae salutis vestes, quum prodesse debent, omnino debent applicari. Fides saluifica est medium, cuius ope homines salutis thesauros sibi applicant \* quamque spiritus sanctus per verbum operatur. \*\* Nam *sine spiritu sancto christum non possumus nominare dominum, \*\*\* et qui christi spiritum non habet; ille christi non est.* \* Hunc christus passione sua nobis promeruit: \*\* hunc etiam effudit Deus super nos: \*\*\* hic est arrha et signaculum nostrae vitae aeternae. \* Nam nos ducit ad christum: nos cum eo vnit per fidem, et omnium beneficiorum a christo acquisite participes reddit.

F 2

Id

\* I Ioan. II, 2. Philipp. III, 12.

I Tim. VI, 11. Iesa. LXI, 10.

\*\* Rom. X, 17. 2 Corinth. IV, 13. Gal. V, 22. Io. VI, 29. Tit. III, 5-7. Io. VI, 47.

\*\*\* I Corinth. XII, 3.

\* Rom. VIII, 9.

\*\* Ioan. XVI, 7, 15. XV, 26.

\*\*\* Tit. III, 5-7.

\* 2 Cor. V, 5. Ephes. I, 14.

Id Paullus perquam eximie exprimit: \*\* ἐξ αὐτῶν δὲ ὑμεῖς ἐστε ἐν χριστῷ Ἰησοῦ, ὃς ἐγενήθη ἡμῖν σοφία ἀπὸ Θεοῦ, δικαιοσύνη τε καὶ ἁγιασμός καὶ ἀπολύτρωσις. Haec beneficia homines per fidem sibi applicare debent.

## §. XXV.

Quodsi porro induimus vestem eamque corpori accurate applicamus, illa corpus circumdat, istique arcte cohaeret. Sic ebraei לבש, Syri لَبَس et Graeci ἐνδύειν vsurpant. Ita deprehendimus hanc loquendi rationem: \*\*\* עור ובשר תלבישני *cutem et carnem mihi induisti*, quae arctam coniunctionem denotat; nec hae phrasae: \* ילבשו בשת *puerum induent*, et ילבש קללה כמרו *induet maledictionem*; sicut *vestimentum suum* \*\* sicco pede sunt praetereundae. Significant enim in tantum coniici pudorem, tantaque maledictione obrui, ut videatur quis pudore et maledictione undique circumdatus, tanquam veste. Syrus simili ratione adhibet vocem لَبَس. Nam si

Paullus \*\*\* christum ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς σαρκὸς αὐτῶν constitutum in medium profert, Syrus interpres haec verba ita vertit: **أف جب جسد إيسا** *etiam quum carne vestitus esset ille*. Sic christus cum suis beneficiis homines, qui eum assumunt, undiquaque circumdat. Christus est in illis, et hi in christo: \* quicquid christus morte sua acquisiuit, iustitiam eius per fidem sibi appropriant, ut ita dicantur iustitia ipsa, quae coram deo valet. \*\*

## §. XXVI.

\*\* I Cor. I, 30.

\*\*\* Iob. X, II.

\* Iob. VIII, 22.

\*\* psalm. CIX, 18. 19.

\*\*\* ebr. V, 7.

\* Ioan. XV, 45.

\*\* 2 Cor. V, 21. et Rom. III, 26.

## §. XXVI.

Vestis corpori applicata corporis tegit nuditatem. Ideo Deus non solum primis nostris parentibus post lapsum **וַיַּעַר כְּתָנָיו** praeparabat, vt nuditatem suam tegerent; \*\*\* sed etiam sacerdotibus suis mandabat, vt vestes ad nuditatem obtegendam adhiberent. \* Sic Sem et Iaphet \*\* vestibus suis patris pudorem obtegebant. Quid loquar de vestibus salutis: quid de earum vi ac virtute, spiritualem nuditatem tegendi? nos omnes, amissa diuina imagine, nudi eramus coram deo: \*\*\* nudi iustitia: nudi bonis operibus, vt non possemus, quin maxime suffunderemur pudore. CHRYSOSTOMVS \* merito audiendus est, qui dicit de christo: **εἶδε τὴν οἰκθρμένην γυμνήν, ἔ τῷ σώματι γυμνήν, ἀλλ' ἀρετῆς γεγυμνομένην· εἶδε τὸ πλάσμα, ὃ ἐπλασε καὶ ἠλέησεν, ὃ ἐποίησε, καὶ δίδωσιν ἔνδυμα τοῖς γυμνοῖς αὐτὸς ἑαυτόν.** Rem hic vir magnus acu tetigit. Nam christus est ille, qui nostra peccata coram iudicio diuino obtegit nobisque iustitiam suam imputat. Haec est vestis, quam credentes a christo emere debent, vt nuditas eorum non appareat. \*\* Christus est ille, qui sustulit; nec solum sustulit; sed etiam portauit peccata nostra: \*\*\* christus

F 3

stus

\*\*\* genes. III, 21.

\* deuter. XXII, 12.

\*\* genes. IX, 23.

\*\*\* apoc. III, 17.

\* hom. 206. tom. V.

\*\* apocal. III, 18.

\*\*\* Iesa. LIII, 4. Quemadmodum Iesaias oeconomiam noui testamenti in vaticiniis suis tam clare atque accurate

depinxit, vt ipse illius spectator et administer fuisse videatur; sic praesertim in hoc capite id praeclare egit. Quod ad versum a nobis allegatum attinet, is magno pondere gaudet. Nam si Iesaias dicit: **לֹא־נִשְׂאֵהוּ הַגּוֹי הַזֶּה**, verbum **נִשְׂאֵהוּ** non tollere solum significat; sed etiam *ablatum portare*.

stus est ὁ ἄμνος τῆς θεῆς ὁ αἶρων τὴν ἁμαρτίαν τῆς κόσμου. \*  
 Christus ἀνήνεγκε τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν αὐτὸς ἐν τῷ σώματι  
 αὐτῆς ἐπὶ τὸ ξύλον, \*\* et sufficientissimum ἀντίλυτρον, \*\*\*  
 cum a parte hominum, quia est vniuersale; tum a par-  
 te dei, quia infinitae iustitiae diuinae etiam a perso-  
 na infinita fuit satisfactum. Christus nos cum patre  
 coelesti reconciliauit \* et deus nosmetipsos secum

in  
 rare. Nam qui aliquid aufert,  
 tandiu portat, donec illud  
 abiiciat, quod ex *Leu. xx,*  
*17. num. xxx, 16. Ezech.*  
*xxiii, 49.* et aliis locis pa-  
 tet. Id etiam sequentia ver-  
 ba docent, quae Iesaias adhuc  
 adiecit: כְּכַחוּבֵינוּ הָיָא סְבִילָא  
 Nam כְּכַחוּבֵינוּ notat aliquid hu-  
 meris impositum portare, vt  
 βαράζεν Graecorum: confer  
*Iesa. xlvi, 7. gen. xlix, 15. I*  
*reg. v, 15. thren. v, 7.* Itaque  
 christus peccata hominum in-  
 star baiuli humeris imposita,  
 eorumque poenas patienti por-  
 tabat animo. Typus eius erat  
 hircus emissarius, quem LXX.  
 INTERPRETES ἀποπομπᾶιον  
 vocant, et qui portabat pecca-  
 ta populi Israelitici, *Leu. xvi, 22.*  
 conferantur de hoc hircu eius-  
 que significatione IO. FRISCH-  
 MUTHVS de hircu emissario: IO.  
 ANDR. DANZIUS de λύτρῳ  
 redemptionis.

\* αἶρων simili ratione tollere  
 et sublatum portare denotat  
*Marc. ii, 5. viii, 34. Luc. v,*

24. quod et Syrorum  
 fatis exprimit. Vox haec *Marc.*  
*ii, 3. Matth. ix, 6. act. iii, 2.*  
*Matth. xi, 29.* in hoc sensu  
 vsurpatur.

\*\* I *Petr. ii, 24.* vbi vox  
 ἀναφέρω bene est obseruanda.  
 Ἀνά in compositione denotat  
 sursum. Petrus absque dubio re-  
 spicit ad morem sacerdotum,  
 qui sacrificia sursum ferebant  
 ad altare, vt LXX. INTERPRE-  
 TES *gen. xxii, 2.* de Isaac,  
 quem Abrahamus immolare vo-  
 lebat, vsurparunt. Sic christus  
 etiam nostra peccata sursum tu-  
 lit in lignum crucis: chirogra-  
 phum sursum tulit et cruci affi-  
 xit, *Col. ii, 13.* Adamus deriuab-  
 at ex arbore in se peccatum;  
 christus vero a se in lignum  
 transportauit.

\*\*\* I *Tim. ii, 6.*

\* I *Io. ii, 2.* est ἱλασμός, cuius  
 typus erat ἱλαστήριον veteris te-  
 stamenti, quod occultabat qua-  
 si a conspectu dei tabulam legis  
 et peccatorum nostrorum chiro-  
 graphum.

in christo, \*\* et vt coram iudicio diuino consistere possimus, christus iustitiam suam hominibus per fidem applicat, vt haec tegat peccata illorum, non eum in finem quidem, vt nihil amplius supersit; sed vt ea tantum non imputentur: in profunditatem maris abiiciantur, \*\*\* ita vt coram iudicio diuino tanquam tales, qui nulla commiserunt peccata, et iusti declarantur. \* Quo David tendit, \*\* inquit: **אשרי נשוי פשע כסוי חטאה אשרי אדם לן יחשב יהוה לו עון.** Nam nunc hominibus peccata remittuntur, vt *ἔδεν, κατάκρημα* in illis fit. \*\*\*

## §. XXVII.

Vestes nouas et pretiosas quum induere volumus, veteres vt deponamus, requiritur. Iacobus ad deum cum tota sua familia non accedebat, nisi muta-

\*\* 2 Cor. v, 19.

\*\*\* Mich. vii, 19.

\* Rom. iii, 23. *sqq.* iv, 5. v, 1. viii, 31. Vox *δικαίων* in sensu forensi accipienda est pro *iusto declarare*, vt ebraeorum **קרי** *deut.* xxv, 1. *prou.* xvii, 15. *Iesa.* l, 8. vsurpari solet. Si dicendum, vt res est, in opere iustificationis accuratam habemus iudicii imaginem. Iudex est deus *Rom.* viii, 33. *act.* x, 42. tribunalis fit mentio, *Rom.* xiv, 10. 2 *Cor.* v, 10. accusator est diabolus, *apoc.* xii, 10. reus est peccator, *Rom.* iv, 5. xii, 19. vocatio ad iudicium exprimitur per *ἐγκαλεῖν*, *Rom.* viii, 33. et *προσκαλεῖν*, *Matth.* xviii, 32. dies iudicii constitutus dicitur

*σάσις ἡμέρας, act.* xvii, 31. delictum; siue peccatum cognoscitur: testes adsunt et quidem lex, *Galat.* iii, 10. conscientia nostra, *Rom.* ii, 15. liber scientiae dei infallibilis, *apoc.* xx, 12. noster chirographus, *Coloss.* ii, 14. sententia fit condemnatoria, *Rom.* v, 16, 18. viii, 34. *deut.* xxvii, 26. ast aduocatus adest noster *παράκλητος*, 1 *Io.* ii, 1. *μεσίτης*, 1 *Tim.* ii, 5. adest sponsor, christus nimirum, qui satisfecit: satisfactione facta et accepta laeta sententia fertur: crede, et saluaberis.

\*\* *psalm.* xxxii, 1. 2.\*\*\* *Rom.* viii, 1.

tis vestibus. \* Et cui est ignotum, quod deus mandauerit, vt captiua Israelitae nuptura vestes suas deponeret aliasque sumeret? \*\* Iosephus, \*\*\* quum ad Pharaonem deduceretur, et filius prodigus \* antequam paternam intrabat domum, simili ratione, vestibus suis depositis, nouis vestiebantur. Ita etiam sacerdotes veteris testamenti, sacerdotales vestes sibi iniecturi, alias deponere debebant. Igitur quanto magis id in induendis spiritualibus vestibus obseruari debet? Non possumus christum eiusque beneficia induere, nisi peccata nostra gratia et auxilio dei abiiciamus. Eo tendit Zacharias, qui enarrat, deum mandasse, vt summo pontifici Iosuae impurae vestes, quibus vestitus erat, subtraherentur, nouaeque darentur: quamobrem deus quoque illum ita alloquitur: דָּאָרָה הָעִבְרִיתִי מֵעֵרִיךְ עוֹנֵךְ \* והלבש אתך מחלצות \* Eadem ratione deponere debemus peccata, tanquam pannum mensurorum, \*\*\* veterem hominem, \* et induere nouum hominem \*\* et vestes salutis, \*\*\* vt deperdita Dei imago rursus in nobis renouetur.

## §. XXIIIX.

Porro vestes corpus, cui indutae sunt, maxime ornant. Quam pretiosae Estherae fuerint vestes, \* quis nescit? et quanto splendore regius Salomonis habitus fuerit exornatus, ex Luca patet. \*\* Nonne vestes Herodis tanti pretii erant, vt homines istarum splendore perstricti eum non hominem; sed deum

\* *genes.* xxv, 1. 2.\*\* *Deut.* xxi, 13.\*\*\* *genes.* xli, 14.\* *Luc.* xv, 22.\*\* *cap.* iiii, 3. 4.\*\*\* *Iesa.* lxiv, 6.\* *Ephes.* iv, 23.\*\* *Ephes.* xv, 24.\*\*\* *Iesa.* lxi, 10.\* *Ephes.* vi, 8.\*\* *Luc.* xii, 17.

deum esse, crederent? \*\*\* et quam pretiosae vestes sacerdotum veteris testamenti fuerint quamque splendidae, neminem latere potest. Siue materiam earum; siue pulcherrimas figuras in istis arte textas; siue colores et ornatum consideres, eas maximi pretii fuisse, facile concedes. Nam dabantur sacerdotibus, vt scriptura sacra loquitur, *לכבוד ולתפארת* *in gloriam et honorem.* \* Ast multo pretiosiores sunt vestes salutis. Nam quum credentes habeant peccatorum remissionem et iustitiam christi sibi imputatam: quum christus eos per lauacrum in verbo ita purgauerit, vt nulla macula illis adhaereat: \*\* quum nati sint ex deo \*\*\* ac diuinae naturae participes facti sint: \* quum christi, omnium pulcherrimi, \*\* sponsa sint, quam christus splendidissimis ornauit vestibus: quum filii dei agnoscantur, quid, quaeso, ornatu credentium posset praestantius: quid pulchrius: quid splendidius inueniri? Hunc credentium ornatum FR. ADOLPH. LAMPIVS \*\*\* perquam eximie exposuit. Spectat hic ornatus praesertim ad animam, quem CLEMENS ALEXANDRINVS \* ita describit: *κάλλος ἄριστον τὸ ψυχικόν, ὅτ' ἂν ἢ κεκοσμημένη ψυχὴ ἀγίῳ πνεύματι καὶ τοῖς ἐκ τέρας ἐμπνεομένη φαιδρεύμασιν, δικαιοσύνη, φρονήσει κ. τ. λ.* Credentes sunt illa regis filia auro exornata, \*\* quod LAMPIVS \*\*\* itidem eleganter monstrat. Nec solum hic ornatus animae intrinsicus est; sed sese exerit etiam extrinsece, per vitam virtutibus a Petro \* enarratis exornatam, ita, vt credentes ostendant bona opera, certissimos fidei fructus. \*\* Ambulant nunc, quem-

G

quem-

\*\*\* act. xii, 21.

\* exod. xxviii, 2.

\*\* Ephes. v, 26. 27.

\*\*\* 1 Ioan. v, 4.

\* 2 Petr. i, 4.

\*\* psalm. xlv, 3.

\*\*\* in exercit. sacris in ps. xlv. p. 372.

\* paedag. iii, ii. p. 291.

\*\* psalm. xlv.

\*\*\* c. l.

\* 2 Petr. i, 4-7.

\*\* Matth. v, 16.

quemadmodum christus ambulauit, \*\*\* et sponfam christi se esse, demonstrant. Sunt grati deo: grati hominibus. Ex hoc ornatu credentes maximam hauriunt apud Iesaiam \* laetitiam. Haec ornamenta igitur omnes meditentur: capiant ex illis suas delicias: studiose ea conseruent. Nam si virgo non obliuiscitur ornatus sui; nec sponsa eorum, quae alligat sibi; \*\* quanto maiori cura atque industria sponsa christi animae suae ornamenta interna \*\*\* asseruare debet?

## §. XXIX.

Ne nobis frigoris vis noceat, vestes induimus. Sic David; vestibus obtegebatur, vt calidus fieret; \* nec exiguum huius rei testimonium apud Iobum \*\* occurrit. Ita vestes salutis homines credentes, coadiutore spiritu sancto, optime conseruant. Nam spiritus sanctus in animis illorum spirituales ignem excitat, vt amore, locuplete fidei teste et indiuulso comite, flagrent; nec in exercendo bonorum operum studio tepidi fiant; sed magis magisque fructuum iustitiae fertiles reddantur.

## §. XXX.

Quum vero Paullus expressis verbis dicit: *χρησὸν ἐνεδύσασθε*, id adhuc obseruandum est, quod *induere aliquem*, reuera nihil aliud sit, quam personam cuiusdam repraesentare, ita vt in nobis talia requisita appareant, qualia sunt in isto, qui vt exemplar potest considerari. Eadem ratione credentes christum etiam induunt, quum se sistant conformes: quando imaginem eius prae se ferunt: \*\*\* vestigia ipsius premunt: \* ambulant, quemadmodum ipsemet ambulauit,

\*\*\* 1 Ioan. II, 6. Col. II, 6.

\* Iesa. XLI, 10.

\*\* Ier. II, 32.

\*\*\* 1 Petr. III, 3. 4.

\* 1 reg. I, I.

\*\* xxiv, 7.

\*\*\* Rom. VIII, 29. II Cor. III, 18.

\* Io. XIII, 15. 1 Petr. II, 21.



uit, \*\* idemque affectus in illis est, atque in christo, \*\*\* ita, vt factis christum adeo exprimant, vt quicumque illorum vitam consideret, christum agnoscat in istis, et illos in christo.

## §. XXXI.

Haec sunt beneficia, diuitiae, animae ornamenta, quorum homines per baptismum redduntur participes. Nam baptismus est medium fidei consequendae; fides autem medium, thesauros salutis acquirendi. Ergo iam per baptismum hae diuitiae conferuntur hominibus, et obsignantur. Deus ter optimus maximus, qui nos per baptismum in foedus suum suscepit, omniumque a christo comparatorum beneficiorum participes reddidit, suppeditet nobis omnibus largissimam suam gratiam, vt in baptismo nobis donatas vestes salutis, animæ ornamenta, immaculatas retineamus, et his induti post hanc vitam in gloriosum regnum coelorum ingredi, omnibusque his beneficiis modo perfectissimo frui possimus.

Tu vero, beneuole lector, laboribus meis faue.

G 2

NO.

\*\* 1 Ioan. II, 6. Col. II, 6.

\*\*\* Phil. II, 5.

## CORRIGENDA.

p. 2. lin. 23.	lege	لَجْمَةً	pro	لَجْمَةً
p. 9. not. col. 1. l. 17.	2 Chron. IV, 2.		pro	1 Chron. XIX, 8.
p. 10. not. col. 2. l. 5.	ἀενάων		pro	ἀενάων.
p. 12. not. col. 2. l. 7.	αὐτέων		pro	αὐτέων.
p. 16. lin. 17.	دَا		pro	دَا
p. 17. not. col. 1. l. 5.	§. 7.		pro	§. 2.
p. 21. not. col. 1. l. 7.	22.		pro	12.
p. 22. not. col. 1. l. 17.	25.		pro	35.
p. 23. lin. 9.	دَبْرٍ		pro	دَبْرٍ.

Caetera, quae forsitan supersunt, beneuolus lector amice emendet.

NOBILISSIMO AC CLARISSIMO  
M. IOSEPHO CHRISTOPHORO WERNERO  
S. P. D.  
IO. GEORGIUS WALCHIVS.

---

**Q**Vam nunc in publicam emittis lucem, commentationem sola tua industria esse compositam; nec a me quidquam ad istam emendandam; aut augendam additum, omnino declaro simulque profiteor, quod propter illam multa laude ac gratulatione maxime sis dignus. Prout argumentum, quod in se graue atque vtile est, elegisti; ita illud tam praeclare enarraſti, vt quisque, harum litterarum peritus, iudicare debeat, te eximio florere ingenio; nec quam per gratiam coelestem et perpetuam tuam exercitationem tibi comparasti, eruditionem esse mediocrem. Postquam enim laudabilia tua studia diuini doctrinae consecraſti ac sapienter recteque intellexisti, illam ex sacris litteris esse hauriendam, in eo praecipue operas, curas, cogitationes tuas collocaſti, vt solidam omnium earum rerum scientiam tibi adquirereres, quae ad interpretationem atque intelligentiam sanctissimi codicis spectant. Quod non sine prosperiori successu in eiusmodi disciplinarum genere sis versatus: quod egregium exemplum viri praenobilissimi, DANIELIS GODOLFREDI WERNERI, rectoris gymnasii Stargardiensis, meritorum, eruditionis atque inprimis litterarum in toto oriente cultarum singulari laude florentis, quum sanguine tecum coniunctus est, tuque illum, vti decet, omni cultu prosequeris, feliciter adhuc fueris sequu-

sequutus, hoc ingenii tui specimine luculenter mon-  
stras. Igitur, quam tibi debeo, gratulationem per-  
soluo: tuam felicitatem de cursu studiorum in hac  
academia praeclare confecto praedico ac precor de-  
um, velit pro sapientia ac benignitate sua te semper  
conseruare atque efficere, vt ecclesia pariter ac res  
litteraria vberrimos praestantissimi tui ingenii fru-  
ctus percipiat tuque iucundam laborum tuorum  
videas mercedem. Ienae, d. xx. mai. anno repara-  
tae salutis humanae M D CC XXXIX.

---

VIRO CLARISSIMO NEC NON DOCTISSIMO  
IOSEPHO CHRISTOPHORO WERNERO  
PHILOSOPHIAE MAGISTRO DIGNISSIMO

S. D.

IO. BERNHARDVS WIDEBVRG

SI non aliunde constaret, Salanam nostram antiquum  
suum, quo a prima fundatione inter reliqua caput  
extulit artium emporia, hodienum adhuc per Dei gra-  
tiam tueri splendorem et eminentiam; vel inde pa-  
lam fieret, quod subinde ex illa tanquam ex equo  
Troiano, noui prodeunt sapientiae heroes, vniuer-  
sam non modo Germaniam sed cunctas cultioris ter-  
rae partes aduersus omnem barbariem fortiter ac  
strenue defensuri. Paucissimae elapsae sunt heb-  
domades, cum ex decreto amplissimi ordinis philo-  
sophici ego Brabeuta constitutus xxiv. philosophiae  
Doctores nouos publica renunciatione proclamauit,  
qui omnes non solum in diuersis tentaminibus,  
quae apud nos magno fieri consueuerunt rigore,

G 3

egre-

egregios in omni elegantiori literatura et sapientiae studiis profectus abunde comprobarunt, sed et plerique eorum partos hos honores ac dignitatem magistrariam iam ex publica cathedra coram integro eruditorum coetu egregie sibi vindicarunt, nec sine meliori applausu philosophicas scientias et liberales artes intra priuatos parietes profitentur. In horum numero TV quoque locum haud postremum occupas, VIR CLARISSIME, cui nullo modo fatisfuit, ab ineunte aetate bonarum literarum, optimarum artium, ac verae philosophiae studia excolere, praeclearamque ac variam doctrinam, vt in sapientiae partibus omnibus, sic et in mathematicis disciplinis meo potissimum ductu comparare, sed gradum Magisterii, quem dudum promeruisti, consequutus, in id laudabiliter incumbis, vt dignum TE summis his in philosophia honoribus publice demonstrares. Luculentum de eo testimonium perhibet specimen hoc eruditione plenum, quo TVAM in philologicis et hermeneuticis praecipue eruditionem haud vulgarem eleganter declaras. Gratulor itaque TIBI non solum de isto, sed in vniuersum quoque de eximia virtute, modestia, et morum elegantia, qua plures alios antecellis. Seruet TE Deus T. O. M. diu saluum et incolumem, omnes que TVOS egregios conatus ex alto fortunet, vt quem sibi proposuerunt portum, breui feliciter consequantur. TV vero, quod haecenus recte fecisti, me amare perge. Scrib. e museo d. xv. Maii. A. O. R. clb lb cc xxxix.

CLA-

CLARISSIMO DOCTISSIMOQVE DOMINO,  
IOSEPHO CHRISTOPH. WERNERO,  
EISENBERG.

ARTIVM LIBERALIVM MAGISTRO,

S. P. D.

M. IOH. LEONH. RECKENBERGER,  
ORD. PHILOS. ADIVNCTVS.

QVoties mihi clarum nomen TVVM in mentem venit, toties in eam simul cogitationem incido, quod olim iam nostra haec academia TVO hoc nomine claro inclaruerit. Eadem studiorum genera elegisti, quae cognatus iste TVVS elegit in iisque clares vt olim hic claruit. Humanam sapientiam cum litteris elegantioribus linguisque variis didicisti, atque orientalibus peculiarem nauasti operam, quas amplificare extra Saxoniam quoque laudando conatu iam instituis. Vt latus studiorum campus patet: sic ea variis nostri Athenaei viris iisque doctissimis pariter ac eruditissimis debes, ad quorum doctrinae mensuram me non pertingere lubens et ingenue fateor. Nouissime ad me etiam TE conuertisti expetiuisti que cum suauissimo Commilitone TVO a me, vt Vobis ad praxin Chaldaicae linguae codicis sacri in propheta Daniele, intellectu difficilimo digitum intenderem. Ast cum raro huiusmodi collegiis delectentur sacrarum litterarum studiosi in hac academia: vestris respondere votis tum non potui. Factum tamen est hac ipsa occasione, vt me cum aliquibus studiosis selectioribus antiquos Iudaeorum ritus exponentem sedulo audiretis.

tis. TV clarissime Domine Magister cum reliquis tunc temporis commilitonibus et quibusdam ex illis, iam philosophiae Magistrorum titulo ornatis, praecipue industrium atque cupidum doctrinae mihi TE probasti, audita excepisti, ponderauistique, cum aliis ea contulisti, atque quod verum inuenisti, sine praeiudicio arripuisti. Doctrinae sanctiores vel imprimis TIBI curae fuerunt, quibus mentem TVAM pauisti intime. Quorum basis fundamentumque cum sit sacri codicis genuina interpretatio: id egisti in nostro hoc bonarum artium emporio, vt omnia, quae ad istum finem consequendum necessaria sunt, imbiberes applicaresque. Contigit mihi deinceps in amplissimi ordinis philosophici huius loci confessu vires TVAS explorare, quas haud mediocres esse deprehendi, optauique vt prius mihi occasio tecum verba faciendi enata esset. Proinde hanc bonam de TE, VIR CLARISSIME, spem concipio, quo me praesens TVVM specimen elaboratum ducit, fore, vt non TVAE solum patriae sed nostrae etiam academiae aliquando sis victurus atque honores, ab amplissimo Philosophorum ordine TIBI rite collatos, ecclesiae Dei maximo fore emolumento ominor felici fidere. Mihi interea temporis sufficiat ex illorum fuisse numero, quos ad faciem TIBI praeferendam, non in infimis humanae sapientiae disciplinis, selegisti, atque ad profectus TVOS in studiis sanctioribus non leue aliquod momentum contulisse. Scribebam Ienae d. XI. Calend. Iunii A. O. R. clō lō cc xxxix.

Gelehrs

\* \*                    \*                    \* \*  
\*                        \* \*                    \*

Famoso WERNER, quel vostro sacro ingegno,  
 Che voi natura pose, e 'l Ciel diede  
 D'immortal gloria, e voi d'ogni onore degno  
 Fate a tutti veder d'esserne erede,  
 Mentre della Virtù oggi mostrate 'l segno.

Insegno di buona amicizia  
 scriveva

En. Ad. L. de Krosigk.

Gelehrter Freund, Dein edler Fleiß  
 Bricht iezo Dir ein würdig Lorbeer-Reis:  
 Wie wird nicht einstens Dein Bemühen  
 Des Höchsten Ruhm, der Kirche Hehl, der  
 Bürger Wohlfahrt nach sich ziehen!

Hierdurch wolte seine aufrichtige Benefreunde:  
 über das gelehrte Wachsthum seines hoch-  
 geschätzten Freundes ergebenst an den Tag  
 legen

M. Johann Christian Matthes.

H

1765

Προς Φιλονεικηθένος, ἔς ἔσχατα φίλε, βραβεῖα,  
σπαράζων συνεχῶς περὶ λῶσα μαθήματα, τύχης  
ἄξιος· ὡς τε καὶ καλαφάνες ποιῆ διατρέβη  
ἐλλόγιμῳ κε μάλισα παρῶση. Χαρις ἀνακλῶ  
Νυ τοι πρωτεύοντος ἐπαρῶνίοις ἐπινεύου  
Πείρας Σεῖο, καὶ ἐνόμαλῳ τ' εὐδοξίαν αὐξῶ.

φιλότιμος τῆς ἀνυποκρίτου καὶ κα-  
θήκε ἕνεκεν ταῦτα ἐγρά-  
ψατο

Βασίλειος Θεόφιλος Ροδομάννος.  
ιερ. μαθ. σπαρ.

ἀντιτάνων



Coll. dess. A 230, misc. 9